- Sanguinis mittendi primi scopi duo. 182.17



I N D E X

- Sanguinem præter naturam in cauita  
tem aliquam effusum, necessario  
corrumpi 191.9  
Scarificationes non indiscriminatim  
adhibendæ 177.5
- T.
- T**horacis partes, inferiorum exer  
citatione iuuari. 164.28  
Thorace superioribus partib. affectis  
quæ nam uenæ incidendæ. 163.12.  
& quæ inferioribus. 166.6  
Tractionis & euacuationis uelocis  
ac plurimæ non eadem in omnib.  
affectibus necessitas 177.22  
Tractus & expulsio per quas uenas  
expedite fiant. 156.16
- V.
- in Vacuando natura probe munere  
suo surgens imitanda 106.1  
Vacuatio. uide Euacuatio.  
Vacuatio per particulam affectam.  
145.28  
Vacuationem cum reuulsione nõ pu  
gnare. 152.1. & 159.27.  
Vacuationes multas esse, quæ deriua  
tiones non sint 207.23  
Venæ è directo sectione in inflamma  
tionum principio utendum. 179.  
33. & 191.23  
Venæ sectio è directo, reuulsio est, nõ  
deriuatio. 150.14. & 174.26  
Venæ è directo sectione quare tanto  
pore neoterici distulerint. 196.16  
Venæ humeralis è directo sectioe ocu  
lorũ dolores sedari. 153.29. et 165.12  
Vena opposita quæ 149.32  
Venæ oppositæ sectio 154.6. quid  
possit. 155.31  
per Venæ oppositæ sectione benignũ  
sanguinem euacuari. 188.8  
Venæ sectione ex opposito latere cau  
sam phlegmones abscondere non  
posse 185.28  
Venæ ex opposito sectione in inflam  
mationibus externis non omnino  
probari 181.7  
Venæ sectio ab eodẽ latere facta, an  
reuulsio sit 181.26  
Venæ sectio eadẽ nõ potest & reuul  
sio esse & deriuatio simul. 154.  
24. & 159.13. & 195.11  
Venæ sectionem è directo, non fieri è  
proximo 161.14  
Venæ sectione è directo, ad longinquis  
sima auersionem esse 161.24  
Venæ sectione è directo facta, celeri  
ter & reuelleret & uacuare. 158.19  
Venæ sectione ex opposito facta, opti  
mum sanguinem citra morbi leua  
men deicere 158.21. & 160.32  
Venæ sectio in distantissimis facta  
quid efficiat 156.25  
Venæ sectione in pleuritide è directo  
facta & reuelleret & euacuare.  
153.22  
Venæ sectionem quare tamdiu in Ana  
xione distulerit Hippocr. 198.31  
Venæ communes quæ 175.22  
Venæ interiores incidendæ. 160.16  
Venæ quæ nam affectis partibus tho  
race superiorib. incidendæ. 165.  
12. & quæ inferioribus. 166.6  
Venam oppositã, id quod in alterũ la  
tus procubuit, non retrahere. 172.7  
Veritatis

I N D E X

Veritatis amore suscepta contentio honestissima	208.27	Vniuersalis locus per particularem explicandus	203.31
in Ver. igne quare reuulsionem mouatur Galenus	170.3	Vsum à ueritate nostro seculo ferè semper deuiare	162.28
in Viscerum interiorum inflammationibus eam que ex opposito fit reuulsionem, ei que è directo fit non preferendam	156.1	in Vteri inflammatione que uena scanda	166.23. & 167.17.
		Vtero inflammato poplitis uena in eadem	179.17. & 180.26

F I N I S.



LEONARDI FVCHSII

MEDICI AC PVBLICI SCHOLAE

Tubingensis professoris, aduersus Gulielmum Puteanum

Blangiacum medicum, falsam Ioannis Mesues sen-

tentiam, Aloën aperire ora uenarum,

tuentem, Apologia.



**Q**UANTUM si par pari referre uel-  
lem, certe conuitijs ac maledictis po-  
tius quàm argumentis rationibusq;  
firmissimis mihi cum Puteano agen-  
dum esset: quod scilicet ille haud pau-  
ca, eaq; falsa admodum, in me iecerit,  
atque adeò prior læserit, tamen pro uirili ita mihi tem-  
perabo, ne in ijs diluendis in idem crimem recidam.  
Quanquam autem nemo ferè ita æquo & placido ani-  
mo ad illatas sibi iniurias esse possit, quin aliquando  
commotus referiat, ac maledictum maledicto com-  
penset: ego tamen, ut paucis dicam, sic me in hac disce-  
ptatione geram, ne quispiam in me modestiam deside-  
rare queat. Veniam tamen dabūt, sat scio, boni equiq;  
iudices, si interdū mihi, indignitate rei commoto, præ-  
ter animi institutū uerbum aliquod paulo amarulen-  
tius exciderit. Quod si tamen contigerit, tum diligen-  
ter cauebimus, ne in scurrilitatem abeat ista nostra ani-  
mi commotio. Principio igitur, antequā ad rem ip-  
sam accedamus, refellendum erit, quod Puteanus nos  
falso infimulat audaciæ, quasi primo statim libelli de  
Medicorum erratis inscripti limine, audacius multo  
quàm foelicius errata Medicorum emendare polliciti  
simus: cum tamen quod ille nobis impingit, ne per  
somnia quidem in mentem uenerit, tantum abest,  
ut temere promittere uoluerimus. Quid enim magis  
a ridiculum,

Argumentis  
et rationib.  
non conuitijs  
cum Putea-  
no agetur.



ridiculum, quid stultius, quid denique absurdius, quam id polliceri, quod præstare non integrum sit? Omnes enim omnium Medicorum errores emendare ac corrigere qui possit, nemo unquam futurus est. Prorsus siquidem indelebile malum est, eluicque non potens, ac scabie quauis ad sanandum rebellius (Galeno nostro teste) circa sectas contentiosa liuidaque æmulatio. Quare cum non ignorarem, magnam nostræ ætatis Medicorum partem ita Arabibus, Mesuæ potissimum & Aucennæ, addictos & affectos esse, ut mori potius eligerent, quam uellatum unguem ab illorum placitis discederent: fieri non potuit, ut tale aliquid, quod Puteanus obiicit, dum errata parturirem, cogitauerim. Certe ut in errore iam obfirmatum emendes, non scripto, sed fuisse potius efficias. Phryx enim non nisi plagis emendatur. In nuncupatoria quidem nostri libelli epistola, me præcipuos, non tamen omnes, recentiorum Medicorum errores collegisse, ac uno fasce complexum esse polliceor: non emendare, ut ille præter omnem candorem asserere non est ueritus, adeoque non erat, cur me hoc loco temere audaciæ insimularet. Sed hæc tanquam leuioris momenti missa faciamus, et ad alia que restant diluenda properemus. Primam libelli nostri præceptionem, primum eiusdem esse errorem tum demum concedemus, quum grauioribus ac firmiteribus quam hactenus argumentis, bono illi patri suo Mesuæ patrocinatus fuerit. Tamen interim id nos consecutos esse speramus, ut deinceps ex infœlici ac minus auspiciata illa patris sui defensione intelligant omnes, quam omni prorsus patrocinio destitutus sit Mesuæ: quem nullos non nervos intendens, atque adeo filius, ab errore uindicare minime potuit. Cæterum non est cur tantopere cristas erigat, nisi forte sibi Gallo id licere existimet: quasi

Medicorum  
plerique Arabibus  
addicti.

Mesuæ omni  
deinceps pa  
trocinio de  
stitutus.

CONTRA PVTEANVM APOLOGIA. 3

quasi unus, atq; adeo primus omnium fuerit, qui hoc tempore ueram & certam agnoscendarum simplicium medicamentorum facultatum methodum perspectam habeat, multi siquidem & in Italia, & in Germania, adde in Gallia etiam, uiri doctissimi sunt, qui illam, antequam is orbi notus esset, ex Galeno edocti, probe & exquisitissime calluerint. Proinde mirari satis non possum, cur hoc doctissimo saeculo tam imprudenter de omnibus promiscue Medicis pronuntiare ausus sit. Sed ea de re paulo post plura. Nunc nobis admonendus erit, quod toto caelo (ut dicitur) erret, eo quod Arabes multis numeris Graecorum inuenta ampliasse dicat, quum sole meridiano clarius sit, Arabes quicquid habent, à Graecorum fontibus hausisse. Atqui instabit, multa esse in Arabum monumentis, quorum nulla neque apud Dioscoridem, neque Galenum mentio fiat, fateor sane non pauca esse, quorum meminerint in suis scriptis Arabes, quae uetustioribus Graecis penitus incognita fuerunt, si tamen ad posteriores illos Graecos, Oribasium, Aëtium, Paulum, Actuariusque respicias, singula haec ab hisdem, atque multo maiori cum diligentia, quam Arabibus descripta esse comperies. Exemplo esse possunt Casia fistularis, Caphura, Santali, Moschus, Ambarum, Myrobalani, lutei, caerulei, cepuli, empeliticum, et bebetzicum, atque id genus alia uetustioribus Graecis incognita, exquisitissima tamen ratione à posterioribus Graecis, Aëtio potissimum & Actuario, literis mandata. Proinde etsi Arabum pariter ac Mauritanorum de medicina commentarios, non profusus negligendos abiiciendosque esse putem: tamen non usque eo ad absolutam artis cognitionem necessarios iudico, quin si prioribus Graecis posteriores coniungas, facile & citra iacturam Arabibus carere possis. Et

Arabes sua à Graecismu tuati.

Arabes an legendi?



mea quidem sententia multo consultius erit, prorsus non attingere Arabes, quàm diutius in ijs harere & commorari: quod periculū sit, ne si imparatus in hos incidat, uera pro falsis (quibus non paucis, ut Puteanus etiam fatetur, medicinam refererūt) imbibat: atq; compendiosa eorundem tractatione delectatus, Galenum fusius omnia, & nunquam non adhibita demonstratione explicantem, deserat atque contemnat. Quæ haud dubie res, priori quoque sæculo, ut à Galeno ad Auicennā deficeret, occasionem dedit. Hoc periculum non animaduertere intelligo plerosq; ætatis nostræ medicos, sanè eruditos: qui, ut ego quidē iudico, non malo aut peruerso animo, Mauritanos cum Græcis copulandos esse suadent: putantes, hoc pacto omnia ad artis absolutam cognitionem necessaria, studio suos foelicius consequi posse. Interim enim non uident, paucissimos esse futuros, qui id ipsum, quod cupiunt, recte præstare possint, quum propè omnes hodie medicinam sectantes, nullis neq; artibus, neq; disciplinīs instructi, omniq; iudicio destituti, solos Arabes, utpote quos succinctè & ordine artē posteris tradidisse credunt, Galeno alijsq; Græcis uix à limine salutatis, aut prorsus neglectis, amplectantur, quandoquidem illis hoc unicū in uotis est, ut compendiarīa uia ad medicinæ finem peruenire queant. Horū itaq; sollicitudine pulchrè consulunt, qui illos ad Arabum lectionem suis crebris illis admonitionibus inuitant. Minime uero opus est, sponte huc currentibus addere calcaria, imò potius id conandū est, ut prima artis præcepta à Græcis, qui hæc ipsa docte, copiose, & accurate perscripserunt, hauriant: ut subinde parati, Arabum scripta accedere ualeant. Sed iam ad argumentorum Puteani, quibus Mesuen ab errore uindicare nititur, confutationes



tationes reuertamur. Non certe necesse fuit hic præ-  
 fari, atq; adeo planum facere, Aloë non esse simplicis  
 substantiæ, sed compositæ, ex modica adstrictione, &  
 multa amaritudine: quum hoc nunquam negaueri-  
 mus, sed iam pridem ex Galeno didicerimus, qui non  
 eo tantum loco, quem Puteanus citat: uerum etiam ali-  
 bi, libro nimirum 3. de Simp. med. facult. Cap. 14. in uno  
 eodemq; medicamento plures, easq; contrarias facul-  
 tates reperiri posse, brassicæ, betæ, aloës, & similitum  
 exemplo doceat. Quare debuisset de Manardo, uiro  
 doctissimo, & de re medica optime merito, atque me,  
 paulo modestius pronunciarè: quàm ut nobis totam  
 methodi, quæ simplicium medicamentorum faculta-  
 tes nosse docet, notitiam adimeret. Quid Manardus  
 in ea potuerit, docti omnes nouere. Quod autem ad me  
 attinet, ita me in hac uersatum esse Puteanus methodo  
 sciat, ut certe non dubitem, ut cunq; parturire se in hos  
 Galeni libros commentarios scribat, me singula in ea  
 à Galeno tradita rectius, quàm illum assequi. Id quod  
 in progressu disceptationis, re ipsa docebimus. Iam  
 nunc audiamus, quibus rationibus Mesures sententiã  
 tueri conetur, quarum prima hæc est: Aloë uehemen-  
 ter amara est, igitur iecur & lienem obstructione libe-  
 rat, thoracem pulmonemq; expurgat, & menses pro-  
 mouet. Sequelam Galeni testimonio ex Libro octa-  
 uo de Simpli. medica. facult. Cap. de Præsisio, probare  
 conatur. Quanquam uero citra ullam causæ nostræ ia-  
 cturam totum Puteani argumentum concedi posset:  
 nihilominus tamen, ut hoc loco se male colligere intel-  
 ligat, rationem hanc prorsus esse inualidam declarabi-  
 mus. Quod ut commodius fiat, animaduertendum  
 erit, amarum & amaritudinem plurimum inter se dif-  
 ferre. Amaritudo siquidem, Galeno lib. 3. de Simpli.

*Aloë nõ sim-  
 plicis sub-  
 stantia.*

*Prima Pu-  
 teani ratio.*

*Amarum &  
 amaritudo  
 differunt.  
 Amaritudo.*

medica, facult. Cap. 14. & 15. teste, unum id solum perpetuo est, quod est: uti & adstrictio, falsitas, dulcor, & aliarum qualitatum unaquælibet. Vnum denique in omnibus efficere pro sua natura, non amaritudinem modo, sed & aliarum qualitatum unamquancq, rationi consentaneum est. Amarum autem non unum est: sed quod amarum est, non amarum modo, sed præter amaritudinem adstringens est, aut acré, aut pingue, aut falsum, ideoq; nõ una quoq; perenniter eius actio est. Quod cum ita sit, non recte colligitur in hunc modum: hoc amarũ est, igitur abstergit, expurgat, & quæ in uenis est crassitiẽ incidit, mensesq; mouet. Hi enim effectus non amari, quod alijs etiam qualitibus participati: sed amaritudinis, seu amari saporis, Galeno li. 4. de Simpl. medi. facult. Cap. 17. esse constat. Per saporem uero amarum, intelligo eum in præsentia, qui in natura sua absolutus est: hoc est, qui quoad fieri potest, minime alienis qualitibus permixtus est. Quum itaque Aloë amara sit, hoc est alia etiam sensu notabili qualitate participet, nempe adstrictione: non recte illi omnes amaritudinis effectus, id quod nusquam non in suo libello Puteanus facit, tribui possunt. Inualidã igitur primam hanc eius ratiocinationem esse, ex iam dictis abunde constat. Hoc autem argumento, cui reliquæ omnes innituntur rationes, euerfor: corruere omnes alias machinas, quibus nos oppugnare studet Puteanus, necesse est. Minime tamen refragamur, quin Aloën, quæ non solum amara est, uerum etiam adstringit, intrã in corpus sumptam, meatus magnos, cuiusmodi in uasis sunt, purgare & extergere posse concedamus. Id enim amara, etiam si adiuncta sit quædam adstrictio, efficere posse, Galenus copiose lib. 5. de Simpl. med. facult. Ca. 11. demonstrat. Verum hoc concessio,

*Amarum.*

*Sapor amar-  
rus.*



concesso, Puteanus in eum modum instat: Aloë fortiter amara meatus corporis expurgat, idēq; primo, & per se igitur uasorum osculis apertis, sanguinem citare potest. Hanc certe sequelā non agnoscimus, ut quā minime sequi concedamus: Aloë expurgat uasa, igitur eadem aperit, quemadmodum paulo post euidentissimis rationib. ostendemus. In præsentiā enim Galeni locum, quem citat ex lib. 6. de Simpl. med. facul. Cap. de Rubia, excutiemus, qui sic habet: Quando cūq; amaritudo & adstricō in uno medicamento simplici concurrunt, possunt hæ qualitates similiter coeuntes, secur & lienem expurgare, menses et urinas sanguinolentas euocare. Hactenus Galeni uerba, ut à Puteano sunt producta, recensuimus, quæ sanè duplici nomine nobis obijcere uoluit, primum ut monstraret, adstricōnem minime obstare, quin Aloë meatus corporis expurgaret, id quod tamē nunquam negauimus: ut ex ijs, quæ paulo antè diximus, satis liquet. dein, ut exemplo Rubiæ doceret, Aloën etiam sanguinē citare posse. Si enim illa amaritudine & adstricōne prædita urinas sanguinolentas euocare potest, cur non eadem ratione idipsum præstaret Aloë? Porro sententiæ nostræ prorsus nihil refragari Galeni uerba à Puteano citata diserte docebimus, ubi primū qua illa fide produxerit monstrauerimus. Galeni uerba hæc sunt: ἡ τῶν βαφέων ἔρωθερά ρίζα σφυγνὴ ἔχει πικρὰ πλὴν γνῶσις, ὅθεν ὅσα τῆ εἴρηται κατὰ τὸ πρὸς τοῦτο γράμμα παρῆν ἐς ταυτῶν ἀλλήλαις ἐι τοιαῦται σπιελθοῦσαι δυνάμεις, ἅπαντα σαφῶς ἐν τῷδε τῆ ρίζῃ θεάσθ. καὶ γν ἢ πωλύνα, καὶ ἢ πωρὸς διακαθαίρει, ἢ οὔρα παχία καὶ πολλὰ, καὶ ποτὲ ἢ αἱματώδη κινῶι. Ea interpretes recte sic reddidit: Rubia tinctorum radix, gustu acerba & amara est. Itaque quæcūq; agere dictæ sunt superiore libro, ubi eiusmodi coiuerint.

Galenus locus explicatur.

“  
“  
“



coiuerint qualitates, ea omnia in hac radice luculēter  
 conspicies: quippe quum & lienem et iecur expurget,  
 & urinas crassas multasq̄, ac nonnunquam etiam san-  
 guinolentas moueat. Puteanus autē, quod uideban-  
 tur suæ sententiæ officere, uerba hæc omnia: urinas  
 crassas multas, ac nonnunquam etiam sanguinolent-  
 as: astute admodum omisit. Verum quid miri est, si  
 Rubia interdum usque adeo urinam moueat, ut non  
 duntaxat quod in sanguine aqueum tenuēq̄ ac sero-  
 sum est, uerum etiam sanguinem ipsum à iccore & re-  
 nibus expurget, atque adeo ad uesicam deducat: cum  
 nonnunq̄ citra medicamenta urinam cōsentia, adeoq̄  
 nulla prorsus existente *ἀναστομώσει*, ob solā renum im-  
 becillitatem, aliquando etiam propter amplitudinem  
 osculorum ex uena caua urinam ad renes excolantiū,  
 Aëtio lib. 11. Cap. 2. teste, sanguinis tenue serum, seu  
 urina sanguinolenta mingatur: Quod itaque Rubia,  
 & alia amara atque adstringentia, interdum sanguinē  
 per urinam ducant: id non per se, hoc est acrimoniæ  
 gratia, sed ex accidente efficiūt, quia scilicet oscula ex  
 uena caua urinā excolantia, uehementius expurgant,  
 amplioraq̄ faciūt: ita ut per hæc ipsa non solum serosi  
 aqueiq̄ humores, sed etiam crassi, imò sanguis ipse,  
 ad renes primū, dein etiam uesicam excoletur. Quum  
 enim ampliores iam meatus facti fuerint, quiddā etiā  
 sanguinis emittent, aliaq̄ itidē crassa. Hinc cum Dio-  
 scorides etiam id ex accidente posse Rubiam insinua-  
 re uoluisset, non semper, sed interdū, haud aliter quā  
 Galenus, sanguinem ducere dixit. Verba enim eius  
 hæc sunt: *ἀγρι οὖρα πολλὰ ἢ παχέα, ἐστὶ ὅτε δὲ ἢ αἷμα.*  
 Id uero tum potissimum efficit, quando ab ijs sumi-  
 tur, qui natura uenas ampliores laxioresq̄ obtinent.  
 Quum itaq̄ non per se & *ἀναστομώσεως* ratione, sed ex  
 accidente

accidente potius Rubia sanguinolentam urinam ducit, locum Galeni à Puteano productum, nobiscum nihil pugnare, omnibus evidentissimū est. Quod uero amara plurimā urinam per se mouere non ualeant, satis testatur Galenus lib. 5. de Med. simp. facul. Cap. 12. ubi in hunc modum scribit: Quum plurimam mouere urinam annitimur, non omnino amaris utendū medicamentis, sed quæ acriora sunt, & magis excalfaciunt. Quibus utique uerbis Galenus aperte innuit, quod urinam cientia per se, omnia ex acrium sint genere, cuius neq; Rubiam, neq; Aloë generis esse manifestius est, quā ut à medoceri debeat. Quæ deinceps Puteanus affert, nobis nihil aduersantur, ut qui minime inficias eamus, amara intrò in corpus assumpta, etiam si adiuncta sit adstrictio quædam, magnos meatus purgare & extergere posse. Quare ijs præteritis, hoc potius quod paulo antè polliciti sumus, & in quo Puteanus nunquam non turpiter hallucinatur, explicemus. Solet enim ille passim ita ratiocinari, quasi expurgare & aperire idem significet Galeno, ideoq; sic non raro colligit: Aloë expurgat per amaritudinē uasa, igitur eadem aperit. Et quia ferè tota disceptationis uis in harum duarū uocum genuina intelligentia sita est, & nusquam non in ijs usurpandis impingit Puteanus, quo in significato ijs usus fuerit Galenus, ne subinde lectori confusionem pariant, planū faciemus. Aperire itaq; Latinis medicis idem, quod Galeno & alijs Græcis ἀνασπομωῖν, significat. Aperientia etiam medicamenta non sunt alia, præter ea quæ Galeno ἀνασπομωτικά dicuntur. Quæ autem sint eiusmodi medicamenta, ipsemet Galenus lib. 5. de Simpl. Med. facult. Cap. 13. ijs explicat uerbis: ὅσα μὲν τὰ σώματα τῶν ἀγγείων ἀνοίγνυσσι, ἀνασπομωτικά προσκαγορεύουσιν. Hoc est:

Amara per se plurimā urinā mouere nō posse.

“  
“  
“

Expurgare & aperire Galeno non idem.

Aperire. Aperientia.

b Quæcunq;



Aperientiū  
natura.

Quæcunq; uasorum oscula referant, aperientia nomi-  
nant. Et paulo post, quæ sit eorundem natura, in hunc  
scribens modum demonstrat: *ἡ δὲ φύσις τῶν αἰνῶν ἀναστομα-  
τικῶν παχυμυρῆς, σφοδρῆς, καὶ δολιχῆς*. Quod est: Aperie-  
tium natura, tum crassarū partium, tum acris ac mor-  
dax est. Vnde iam omnibus perspicuum est, Puteanū  
errare, quod aliter ac Galenus (quem tamē unus ipse,  
si Dñs placet, probē intelligit) Aperire uerbo utatur,  
pro eo scilicet quod est, ampliores efficere meatus, aut  
ab obstructionib; liberare. Nam hac ratione aperien-  
tia medicamenta nihil distabunt ab ἴσ; , quæ Græcis  
*ἐκφρακτικὰ καὶ ἐκκαθαροῦντὰ*: Latinis autem infarctu ob-  
structione ue liberantia, & meatus purgantia dicun-  
tur, quod asserere quā absurdum sit, nemo non, mo-  
do Galenum lib. 5. de Simpl. med. facult. Cap. 11. dili-  
genter legerit, intelligit. Siquidem quæ corporis mea-  
tus repurgant, obstructionesq; auferūt, ea omnia tum  
nitrosa, tum amara tenuiaq; : aperientia uero, ut iam ex  
Galeno monstrauius, crassarum partium, acria &  
mordacia sunt. Ex quo iterum omnibus planum fit,  
Aloë nullam habere aperienti facultatem, quod ni-  
mirum eius natura ab aperientiū natura prorsus ab-  
horreat. Primum enim quum ex numero sit exter-  
gentium, teste Galeno lib. 6. de Simpl. med. facult. (id  
quod neque Puteanus inficias ibit) crassarū partium  
esse non potest, sunt etenim omnia extergentia & mea-  
tus expurgantia medicamenta partium tenuium, po-  
tissimum si cum suis contrariis conferatur, quæ *ἐμπλα-  
στικὰ* & *ἐμπρακτικὰ* nominantur: ut abunde docet Gale-  
nus lib. 5. Cap. 11. de Simpl. med. facult. Deniq; neq;  
acris, neque mordax est, nam, ut aperte Galenus li. 6.  
de Simp. med. facult. Cap. de aloë testatur, *ἐξηραίνουσα ἀδύ-  
νητος*: id est, siccitatē mordicationis expertem obtinet.

Aloë neque  
acris, neque  
mordax.

Et quo

Et quo pacto acris esse posset Aloë, quum (ut idem eodem in loco scribit) ἔλκεσι καθαροῖς ἀλυσωρ: hoc est, ulceribus puris, & à sordibus alienis, non molestum sit.

Cæterum acria esse debere omnia, propter quæ ἀνασφρωσις & apertio uasorum accidit, abunde etiam docet Galenus lib. 5. The. metho. Cap. 2. ubi ex profectius causas commemorat, ut iam sole meridiano clarius sit, Aloëni aperiendi facultate non esse præditam: ut quæ neque crassarum sit partium, neque acris, atque adeo mordax. Et hæc unica ratio, singula Puteani argumenta non refellere tantum, imò etiam expugnare potis est. Mirum autem, quod diuersa in significatione uerbo Aperire usus sit Puteanus: cum tamen Galenus (in quem iam parturit Commentarios) lib. 5. Cap. 13. de Simplicium medicamentorum facultatib. Dioscoridem etiam notet, ut qui nonnunquam medicamentum quod relaxat (χαλαστικόν uocant Græci) ἀνασφρωτικόν, & aperiendi facultate præditum nominauerit. Hic ego iure quidem earum rerum, quæ Galenus in Simplicium medicamentorum methodo tradit, ignorationem Puteano exprobrare possem: id quod ipsum nõ uno in loco nobis fecisse constat. Sed à conuicijs, ut recepimus, diligenter cauebimus, rem totam Lectoris iudicio relinquentes: qui, nisi studio iniquus fuerit, facile æstimabit, uter rectius Galeni in hoc libro præceptiones didicerit. Porro uerbo Aperire, Mesue quoque (quem tamen defendendum suscepit Puteanus) in ea qua Galenus usus est significantia, inquit enim: Apertione sanguinem spargente, ita ut minime laxare, aut obstructione liberare designare possit. Sed hæc pro primæ rationis confutatione sufficient.

Secunda Puteani ratio, qua Mesuen tueri conatur, hæc est, Emplastica medicamenta, quæ consentientia

Aperientia  
acrem quali  
tatem obti-  
nere.

Dioscori-  
des à Gale-  
no notatus.

SECUNDA  
RATIO.



sunt crassa, terrea aut uiscosa, & infarciētia, quę Graeci ἐμφρακτικά uocant, corporis meatus suo lentore opulent, & infarciūt, igitur detergentia, & meatus expurgantia, quę emplasticis & infarciētib; qualitate & effectu contraria sunt, meatus expurgant, recludunt, aperiunt' ue. Ex quibus uerbis iterum abūde constat, Puteanum uerbo Aperire in aliena significatione uti, atque adeò errare, eadem enim facit ῥυπτικά καὶ ἐκφρακτικά medicamenta, ijs quę Gracis peculiariter ἀνασώμωτικά, id est aperiētia nominant. Quod quàm absurdum sit, ex paulo ante dictis perspicuum esse arbitror.

Emplastica  
& emphra  
ctica deter  
gentibus &  
obstructiōe  
liberantib;  
contraria.  
Aperiētibus  
quę contra  
ria.

Emplastica & emphractica aduersari detergentib; & meatus obstructione liberantib; minime inficiamur, ita enim docere Galenū lib. 5. Cap. 11. de Simpl. med. facult. scimus, Hoc uero constanter negamus, aperiētia eadem esse cum detergentibus, ac infarctū liberantibus, & aduersa emplasticis & emphracticis. Aperiētium enim contraria, non emplastica & emphractica; sed potius ea, quę generaliori nomine (proprio nanq; destituuntur) σπασμωγόντα, καὶ ἀλείοντα, καὶ σφίγγοντα, καὶ σπυνοῦντα, teste Galeno lib. 5. Cap. 13. de Simpl. med. facult. id est contrahentia, occludentia, constringentia, stringentiaq; nominantur. Quare temere & uerba & tempus, cum docet quę sint emplastica, emphractica, detergentia, & meatus obstructione liberantia, perdit Puteanus, quum illi potius docendum erat, quę essent aperiētia exquisitę & proprie loquendo medicamenta, quęq; illis cōtraria. Atqui pueriliter hic, ut aliàs sæpe, in hoc uerbo Aperire labitur: quo idem quod ampliores aut laxiores fieri meatus, significari putat, quū tamen nihil aliud, nisi recludere uasorum ora significet. Adeò ut diuinare mihi penè iam liceat, quales nobis in Galenū parturiat commentarios, Et cogitet hic,  
secumq;

secumq̄ diligenter expendat Puteanus, quid hic pro-  
 ducere possem, si de eo uere quidem, ut ille de Manar-  
 do, iam uita functo, & me, falso ac temere admodum,  
 & non citra impudentiæ suspiciōē, pronuciare uel-  
 lem. Quare memores eorum quæ recepimus nos fa-  
 cturos, ad alia, quæ profert Puteanus, diluenda, pro-  
 grediamur. Ut ostendat subinde, obstructione libe-  
 rare, & uasorum ora aperire idem esse, locum quendā  
 ex lib. 8. The, meth, Galeni producit, ubi is, Puteano  
 citante, ita scriptum reliquit: Soluunt obstructiones  
 quæ uim habent deterforiam, meatus uasorū aperiē-  
 do. Hęc Galenus. Hic denuò, ut antea quoq̄, fidem  
 in Puteano requiro: ut qui locum hunc Galeni de in-  
 dustria deprauarit, neque enim uerba hæc: meatus ua-  
 sorum aperiendo: Galenus, nisi sibi ipsi pugnantiã do-  
 cere instituisset (quod de tanto uiro suspicari quidem  
 piaculum esse duco) adijcere potuit, ut qui alias ama-  
 ra fatetur esse sanè detergentia & expurgantia, at ne-  
 quaquã aperiētia, ea enim ut non solum amara, imò  
 etiã ut acria sint necesse est. Ut autem omnes aperte  
 agnoscant, hic quoq̄ Galeni autoritate abusum esse  
 Puteanum, ne dicam falsarium fuisse: locum ex arche-  
 typo Græco adscribam, ubi in eum legitur modum:  
 ἐκφρασίηουσι μὲν οὖν αἱ ἐν ὤσει διωάμεις, ἔξωθεν τε προ-  
 σπιπλοῦσαι τῶ δ' ἔργατι, ἢ εἰσω τοῦ σώματος λαμβανόμεναι.  
 Linacrus apposite sic interpretatus est: Soluunt quidē  
 obstructiones, quæ deterforiam obtinent facultatem,  
 seu foris cuti sint admota, seu intra corpus accepta.  
 Vnde abunde liquet, aperiētium nullam prorsus hic  
 fieri mentionem à Galeno, quæ tamen Puteanus cum  
 causæ suæ ita conducere uidisset, adijcere uoluit: sed  
 qua fide & integritate, iudicent docti. Pergit Putea-  
 nus, sic colligens: Venarū meatus sanguinē crassum  
 b 3 incidendo

Galenus lo-  
 cus explica-  
 tur.

“

“

“

“

“

“



incidendo & abstergēdo sua amaritudine aperit aloē, igitur et sanguinē elicere potest. Quibus in uerbis iterum bis peccat Puteanus. Primum, quod aperire idem quod extergere significare autumat. Secundo, quod perperam sic colligit: Aloē expurgat, igitur sanguinē elicit, id enim minime posse Aloē, nisi ex accidente, supra Rubiæ exemplo monstrauius. At cum de facultatibus medicamentorū dignoscendis agitur, non quid ex accidente, sed potius quid per se & primario, ac nullo interueniente, medicamentū efficere ualeat, Galeno lib. 1. Cap. 2. & 3. de Simpl. med. facult. teste, quari solet. Huius præcepti Puteanus, qui tamen nescio quos in hunc librum Commentarios parturit, immemor, perpetuo quid ex accidente possit Aloē, procul à disputationis scopo aberrans, demonstrare frustra nititur. Cæterum falsò nos accusat Puteanus, quasi Aloē semper adstringere, nec aliam præter adstrictionem facultatem obtinere censuerimus; cum tamen id ipsum nusquam in nostris scriptis nos dixisse ostendere possit, ut qui præter adstrictionem & amaritudinem, etiā purgandi facultatem, adstrictioni prorsus aduersam, eam habere sciamus. Id autē dixisse me, satis ex ijs quæ tum scripsi constat, Aloē non aperire ora uenarum, neque ciere sanguinem: sed eadem aperta, sanguinemq; promanantē, sua adstrictione & siccitate potius occludere ac constringere. Quibus tamen uerbis, eidem inesse amaritudinem minime negauimus, utpote quam gustu non semel, sed iterum atq; iterum deprehēdimus: & quam uulgatū hoc omniumq; in ore tritum prouerbium, Plus aloēs quàm mellis, ut ignoraremus haud permisit. Quod itaq; amaritudinis nulla à nobis mentio facta est, non ideo factū, quasi Aloē amaritudine carere crederemus; sed quod insti-  
tuto

*Aloē nō adstringendi tantū facultate prædita.*

*Amaritudinis quare nulla mentio facta.*

tuto nostro illam nihil obesse posse sciremus. Amara siquidem non nisi meatus expurgāt, obstructionesq; tollunt, aperire autē nisi acría sint haud possunt; quod sola acría, ut diximus, aperiendí facultate prædita sint.

Porrò iam tandem ex Galeni sententiá, quæ sint proprie rarefacientiá, detergentiá, aperiencia, obstructi-  
nem soluentiá, densantiá, et obstructiua medicamēta, Montuus definit: quod certe illi inter inítia faciendū erat, potissimum quum intelligeret, his dictionib, confuse omnes penè, ut ipsemet scribit, nostræ ætatis medicos uti. Sed mirum est, Puteanum non uidere se esse ex illorum numero, quos hic accusat. Nam utcumq; alijs iam nominatis uocibus recte utatur, Aperire tamen uerbo illum abuti, atque adeò genuinam eius significationem confundere, tum ex ijs quæ paulo antè diximus, tum ex ijs quæ ipse deinceps scribit, euidentissimum est. Nam inter reliqua quæ producit Puteanus, in eum loquitur modum, Amara penè cæteris pa-  
ribus non solum meatus externos, sed etiam internos  
purgare & aperire possunt. Ex quibus uerbis bifariã  
hallucinari Puteanum liquet. Primo, quia in uniuersum uerum non est, quod asserit amara meatus exter-  
nos & internos expurgare posse. Si enim adiuncta sit  
amaritudini adstrictio, tū externos meatus amara expurgare nō ualēt. Nam, Galeno lí. 5. Ca. 11. de Simp. med. fac. autore. externorū meatuū exiguitas prius ab adstrictiōe oclusa, quàm probe queat expurgari, non etiã inde in altum abstergentē substantiã recipit, nec expurgatur. Secūdo, qđ Aperire, oblitus definitionis antea producte, nihil aliud esse q̄ meatus à crassis humorib, expurgare, atq; adeò ampliores efficere, manifeste insinuet. idq; nō dūtaxat in hoc loco, sed in ijs etiam quæ postea subiūgit, fecisse cōuincit, inqt em̄; Ex præmissis

Non omnia  
amara ex-  
ternos mea-  
tus expur-  
gare ualēt.



missis patet, detergentia & factu liberantia medica-  
 menta, quæ sunt amara, substantiam, quæ in poris &  
 meatibus continetur, detergēdo uel expurgando sub-  
 mouere, idēq; primo & per se, & propter id poros &  
 meatus aperire. Quomodo enim poris aut meatibus  
 impacta seu infarcta educi uel extergendo uel expur-  
 gando possunt, nisi prædictis aut poris aut meatibus  
 rarefactis aut apertis? Quid enim apertius, quàm hic  
 Puteanum Aperire cum Rarefacere uerbo confunde

*Puteanus  
 aloën ex ac-  
 cidente ape-  
 rire fatetur.*

re? Accedit quod manifeste hic fatetur, amara primo  
 & per se detergere & expurgare, ex accidente autem  
 aperire: ita ut illum plane à causa sua cecidisse, nemo  
 non uideat, quando hoc solum à nobis controuersum  
 sit, Aloën per se ora uenarum haud posse aperire, ita  
 perpetuo à disceptationis scopo temere aberrat Putea-  
 nus. Sed instat ille, et locum Galeni ex libro quinto de  
 ocularibus passionibus producit; ubi asserit, amara et  
 nitrosa, ueluti sunt lupinus, orobus, amygdala, uires  
 habere apertiuas, & crassi humoris incisiuas: incensi  
 uas perperam scriptū est. Liber quem citat, mihi non-  
 dum uisus est, puto autem locū istum typographi in-  
 curia esse uitiatum, quum locus ille habeatur lib. 5, de  
 Simpl. med. facul. Cap. 11. ubi ita Galenus scriptū reli-  
 quit: ὃ δὲ τῶν ὀρώρων τε καὶ θερμῶν ἀλεισθῶν, καὶ μάλιστα ὀ-  
 τῶν ὡς ἰσχυροὶ, πρὸς τὸ εὐπείθην, ἢ ὅτι καὶ τῶν ὀρώρων ἐκκαθαί-  
 ρετον ἔχει. πρὸς πλησίον δὲ καὶ τῆς ἀμυγδαλοῦ συμβέβηκεν. καὶ  
 γὰρ καὶ τούτων ὅσα μὲν εἰσὶν πικρὰ, καὶ εὐπείθην καὶ διακαθαίρει  
 πόρος. quod est: Eruorum & lupinorum potissimum  
 amarorum farina, supra quàm quod extergit, nō nihil  
 quoq; meatus expurgare ualet. Simile quiddā amyg-  
 dalis accidit, nam harum ipsarum quæcunq; amaræ  
 sunt, & detergunt, & meatus expurgant, Ex quibus  
 nimirum uerbis satis perspicuum fit, Puteanum Ape-  
 rire

rire dixisse, id quod Galeno est *ἐνλαθαιγδϋ*, adeò ut hinc conijciam, Puteanum Græcæ linguæ non admodum peritum esse. Quæ si uera est coniectura, de suis commentarijs quid diuinandũ sit, facile docti iudicabunt. Auicennam, quem citat, nihil moror, ut cui per me licet loqui ut lubet, nihil uero certius, quàm illum, aut eius interpretem, Aperire uerbo pro *ἐνλαθαιγδϋ* improprie usum esse. Iam puto abunde nos mōstrasse, aperire dictionẽ in aliena significatione usurpasse Puteanum, reliquũ est, ut planum faciamus, Mesuen, quem ille tamen defendendum suscepit, Aperire quoque in ea significatione, qua Galenus utitur, hoc in loco, ubi de aloẽ agit, usurpasse. Si Aperire (ut Puteanus arbitrat) esset, amaritudine sua extergere, purgare, & farctu liberare, Mesue nunquam eam apertionem inter insignes Aloẽs noxas commemorasset: sed potius hanc facultatem, utpote corpori humano admodum utilem, & quæ obstructiones eius soluere posset, miris laudibus extulisset. Inter noxas autem recensere eam facultatem Mesuen, uerba eius satis declarant, quæ sic habent: Neq; ad aliud nisi ad unũ uidetur noxia, aperire enim orificia uenarum, apertione sanguinem manare faciente. Videat igitur Puteanus, quàm præposterè, imò quàm infantiliter, Mesues sententię, illo inuito admodum, patrocinari conetur, quandoquidem is, de qua perpetuo garrit Puteanus apertione, minime locutus sit: sed de ea potius, quæ sanguinem (ut ille ait) manare facit. Quare quũ eandẽ sæpius cantilenã occinat Puteanus, & Aloẽm amaraq; omnia sua amaritudine corporis meatus, iecur & lienem expurgare posse, uarijs rationib; ostendere studeat: nō est ut deinceps ad eas rationes uerbũ dicturus sim, quandoquidẽ & nos fatemur, ut ex prædictis innotuit, amara posse

Verbo aperire quomodo usus Mesue.

“

“



*Aloën esse  
de genere  
medicamen-  
torū purga-  
toriorum.*

expurgare, obstructionsq; tollere: at non aperire, nisi acria sint. Hic potius immensum Puteani errorem detegemus, qui contra omnium ueterum & recentiorum, adde Mesues etiam, cuius tamen patronum agit, sententiã asslerere audet, aloën non esse de genere purgatoriorum per se medicamentorū. Id ipsum uero hoc pacto planum facere conatur. Medicamenta proprie purgatoria dicta, omnia familiaritate quadam, si Galeno credatur, & à tota substantia humores purgandos trahunt. At quæ sua amaritudine purgando, & fæctu liberando purgant, ea trahēdi facultate uacuationem non perficiunt, ut docet Galenus lib. 5. Simpl. medic. Cap. 19, sed potius fæctu liberando, & meatus expurgando pro qualitatū uarietate, aliquando cum urinarum promotione, aliquando sine illa aluum citant, quæ ob id ab excernendo stercore eccoprotica, non proprie medicamenta purgatoria Græcis sunt dicta. huiusmodi sunt fumaría, scylla, absinthium, rhabarbarum, & ipsa aloë. Hæc Puteanus, Mirari autē satis hominis temeritatem, ne dicam impudentiam, non possum, quod hunc, etsi apertum admodū, Galeni locum deprauare non sit ueritus. Quod ut rectius intelligant studiosi, animaduertendum, Galenum in hoc loco à Puteano citato, duplicia facere purgatoria medicamēta. Vno enim modo purgatoria dicuntur, communi multis ratione, quæ quouis modo animalis excrementa expurgant. Alio modo per excellentiam purgatoria uocantur, quæ eadem aut per uomitū, aut per uentris deiectionem purgant. Et ea omnia trahēdi facultatem possidēt, alia unum quempiam humorem, alia duos, aut etiam plures. Vnde satis constat, locū hunc euidenter docere, Aloën esse de genere eorū, quæ proprie, aut per excellentiã purgatoria dicuntur. Si enim

*Galeni locus enarratur.*

*Duplicia medicamenta purgatiua*

*ea,*

ea, quæ *διὺναγωρῆς γαστρός* purgāt, pprie purgatoria  
 nominantur, aloë proprie purgatoria sit oportet, ea  
 enim, eodem Galeno lib. 6. de Simpl. med. facult. Ca.  
 de aloë, teste, *ὑπὸ αὐτῆς γαστρίᾳ*, hoc est uentrem subdu-  
 cit. Et ut rem planius teneant studiosi, aloën esse è nu-  
 mero purgatoriorū proprie medicamentorum, *συλ-  
 λοριστικῶς* in hunc modum colligemus. Quæcumq; cor-  
 poris excrementa per uentris deiectionem purgāt, per  
 excellentiā purgatoria sunt: Aloë corporis excremen-  
 ta per uentris deiectionem purgat: igitur per excellen-  
 tiam purgatorium medicamentū existit. Maior & mi-  
 nor Galeni autoritate firmę manent. Errat itaq; Putea-  
 nus, eo quod medicamenta ea quæ farctū liberant, &  
 meatus expurgant, cum ijs quæ aluum citant confun-  
 dit, nam hoc nusquā Galenus docet: sed ea potius ita  
 differre innuit, ut hæc trahendi facultate uacuationē  
 perficiāt, illa uero non. Sed præstat uerba Galeni sub-  
 scribere, ut omnes sole meridiano clarius uideant, ut  
 locum hunc detorserit Puteanus. Sic itaque ait: Quæ-  
 cunq; crassos lentosq; humores extenuando, aut uri-  
 nam ciere possunt, aut ex thorace & pulmone excre-  
 tionibus auxiliari, ea purgant sanè quidem, uerum an-  
 tediētis non similiter nuncupantur, sed alia uocantur  
 urinam mouentia, alia bechica, alia menses ducentia:  
 hæc re à superioribus diuersa, quod non habeant uim  
 familiarium humorum attractricem, ut illa. Et paulo  
 post: Quæ in hoc bibuntur, ut sanguinem extenuent,  
 & meatus obstructione liberent aperiantq; ea trahen-  
 di facultate uacuationem non perficiunt. Ex quibus  
 sanè Galeni uerbis nemini non est perspicuum, alia  
 ratione purgare ea, quæ incidendo & meatus obstru-  
 ctione liberando expurgant, & alia quæ proprie pur-  
 gatoria nominantur. Haud minus errat Puteanus,



Ἐκκοπρωτικά  
non differūt  
ab ijs, quæ  
proprie pur-  
gatoria di-  
cuntur.

quod ea medicamenta, quæ ab excernendo stercore  
Græci ἐκκοπρωτικά uocant, ab ijs quæ per excellentiam  
purgatoria nuncupantur, differre existimat. Eadem  
enim esse ita ostendemus. Quicquid excrementū ani-  
malis per aluum purgat, est proprie purgatoriū: Aloë  
stercus, quod est animalis excrementum, per uentrem  
purgat: igitur est proprie purgatoria. Maior Galeni  
est: Minor quoq; eiusdē autoritate firma ualidaq; exi-  
stit, quo pacto enim illam inter eccoprotica recense-  
ret, nisi stercora excerneret. Sed & Galenus lib. 6. Sim-  
plic. Cap. de aloë, manifeste innuit, eccoprotica non  
differre à proprie purgatorijs, sic scribens: ὅπως δὲ ἰγ-  
γασίρα τῶν ἐκκοπρωτικῶν καὶ καθαρῶν οὐσα φαρμάκων. Qua-  
si diceret, quia ex numero medicamentorum quæ ster-  
cora excernunt, aloë existit, ideo uentrē subducit. Ut  
inde colligere liceat, uentris excremēta & stercora ex-  
cernentia medicamenta, Galeno etiam dici proprie  
purgatoria, ut sit plane sensus: quia aloë stercora &  
uentris excremēta educere potest, igitur uentrem etiā  
subducet. Sed hæc, utpote non magni momenti, missa  
faciamus: atq; aloën proprie purgatoriam esse, uete-  
rum & recentiorum testimonijs demonstramus. Gale-  
nus siquidem lib. 13. Thera. metho. Ca. 14. manifestis-  
sime aloën facultatem uere purgatoriā habere innuit,  
sic de ea scribens: ταύτη μίμιται τις δῶαμις καθαρτική.  
Facultatem autem proprie purgatoriam hic, ut alibi  
ferè semper, καθαρτικῶν appellat. Nam quæ per urinā  
aliaq; euacuationis loca, citra uomitum & uentris de-  
iectionem purgant, hæc ἐκκαθαρτικά Græcis, & expur-  
gantia Latinis proprie nominantur. Præterea Gale-  
nus lib. 7. The. metho. Ca. 11. iterū aloën inter ea quæ  
per excellentiam purgatoria dicuntur medicamenta,  
quæ illi etiam καθαρτικά uocantur, recenset: dum eius  
facultatem

καθαρτικῆ  
facultas.

ἐκκαθαρτικά

facultatem purgandi & attrahendi bilem, uentriculi  
 & intestinorum loca non transcendere: aut si ultra hec  
 peruenerit, uasa tantum in mesenterio contingere scri-  
 bit. Sed uerba eius adscribemus: Ἐπιλοιπορ οὐδὲ διελ-  
 βῆν, ὅπως ἀντις ἰώτο τὰς γιντοῖς χιτῶσι τ' γαστρὸς λαλοχυμίας.  
 ἐσι δὲ ἐπιτήθεια πρὸς τὰς τοιάντας διαβήσεις φάρμακα, τῶ  
 γίνεαι μὲν ἐκ τῶν καθαιρόντων μετρίως, ὡς μὴ προΐεναι τινὲ δ' ἴ-  
 ναμιρ αὐτῶν ἀνωτέρω τ' ἢ γαστέρα τε καὶ τὰ γιντερα χαρίων,  
 ἢ εἰπὲρ ἄρα πρὸς τότοις ἀπτεῶδ' τ' κατὰ τὸ μισοντέριον ἀνγείων.  
 γιν εἶδει ἢ τὰ διὰ τῆς ἀλόης δὲ καὶ λλιαι, ὅ ἀντὶ καθ' αὐτῶ  
 ἢ ἀλόη μὴ παρόντων ἐκείνων. Quinetiam lib. 6. de Tuen-  
 da ualetudine, idem Galenus aloë biliosi humoris tra-  
 hendi facultatem inesse, hęc uerbis euidentissime docet:  
 οὐ μὴρ οὐδ' ἀλόη τότοις ὀνίνισιν, ἐλκτικῶ δ' ἀάμιρ ἔχουσα,  
 χολώδ' οὖς χυμοῦ. Aëtius etiam, quem nuper Veronēsis  
 ille, Ianum Cornarium antequam integrum latinitate  
 donasset, infeliciter preueniens (ut qui haud dubie  
 hunc maiori fide & diligentia, quam Italus ille fecerit,  
 absoluisset) conuertit, Lib. 3. Ca. 24. aloë purgare bi-  
 lem hęc uerbis indicat: Aloë totum quidem corpus nō  
 purgat, bilem tamen, quæ in stomacho & uentre &  
 intestinis fuerit, unà cum duris excrementis, quietè &  
 suauius educit. His omnib. accedit Mesues, cui pa-  
 trocinatur Puteanus ubilibet, atque omnium hodie  
 medicantiū consensus: qui uno omnes ore fatentur,  
 aloë proprie purgatoriā esse, quod scilicet bilem tra-  
 hendi facultatem obtineat. Nec id temere sanè, quan-  
 do Galenus lib. 5. de Simpl. med. facult. Cap. 19. uere  
 proprie ue purgatoriā ab alijs in hoc potissimum dif-  
 ferre tradat, quod illa habeant uim familiarium humo-  
 rum attractricem, hæc uero non. Recte itaq; sic colligi-  
 tur: Aloë trahit humorem sibi familiarem, igitur est  
 proprie & per excellentiam purgatoriā. Antecedens



*Aloë à tota  
Substantia,  
& non suc-  
cessione tan-  
tum bilem  
trahit.*

iam Galeni & aliorū testimonijs probauimus. Atqui hic elabi cupiens, sic respondet Puteanus: Fateor quidem aloën trahere bilem, at non à tota substantiā, sed successione, quia scilicet reliquis humorib, leuior est. Adeoq; ad Galeni locum in lib, 3. de Natural. facult. confugit, ubi ille duo tractionum esse genera docet, unū, quod successione ad id quod uacuatur, efficitur; alterum qualitatis familiaritate. Quod uero nulla elabendi uia hac ratione Puteano pateat, primū hinc intelligi potest; quod Galenum in locis antea citatis, in quibus aloë trahendi humoris biliosi facultatem inesse scribit, nullam prorsus eius tractionis, quę successione fit, mentionem facere, euidentissimum sit. Nam si de ea loqueretur, tum etiam illam bilem, quę in ijs uenis est, quę sunt ultra mesenterium & iecur, aloën attrahere diceret. Quia uero trahendi facultatem aloës, non nisi ad ea uasa quę in mesenterio sunt, pertingere posse asserit: certo certius est, eum de tractione, quę qualitatis familiaritate, et minime de ea quę successione efficitur, loqui. Quinetiam Aëtius aperte innuit, aloën à tota substantiā trahere bilem, dum inquit, hanc totum corpus nō purgare: hoc est, bilem non à toto corpore educere, sed duntaxat à stomacho, uentriculo, & intestinis. Si enim aloë sua amaritudine meatus expurgando, & successione eius quod uacuatur, quemadmodum pueriliter admodum imaginatur Puteanus, traheret bilem: tunc illam non tantū ex locis iam commemoratis, sed ex uniuerso etiam corpore educeret. Et quid multis moror? si aloën successione traheret, tum non duntaxat biliosos, uerum etiam crassos & pituitosos purgaret humores: quod hæc, ut omnia alia amara, Galeno lib. 4. de Simpl. med. facult. Ca. 17. teste, crassiciem omnem siue pituita, siue pus, siue aliud quippiam

quippiam contineatur in uenis & thorace, incidere &  
 expurgare ualeat. Iam dictis accedit, quod Paulus  
 Aegineta lib. 7. Cap. 4. aperte aloë bilem à tota sub-  
 stantia, uel essentia similitudine trahere, ijs docet uer-  
 bis: Quum omnia purgantia medicamenta stomacho  
 aduersentur, sola aloë conducit. Sciendum uero est,  
 medicamenta ea non simplici quodam temperamen-  
 to, uerbi gratia, caliditate purgare; alioqui omnia cali-  
 da, ueluti piper, uacuandi facultatē obtinerent; uerum  
 totius essentia proprietate, quomodo lapis Magnes  
 ferrum attrahere demonstratus est. Quid quaso ijs uer-  
 bis apertius dici potuisset? aded ut nisi mentem pror-  
 sus, dum hæc cōmischeretur, amississet Puteanus, con-  
 tra omnium & ueterum & recentiorum medicorū sen-  
 tentiam atq; consensum, aloë à qualitatis familiarita-  
 te trahere bilem flauam nunquam inficiari ausus fuis-  
 set. Aloë itaq; non amaritudinis ratione, ut falso sibi  
 persuasit Puteanus, bilem per aluū purgat (aliàs enim  
 omnia amara idem præstarēt, quod à ueritate esse alie-  
 nissimum nemo non intelligit;) sed potius qualitatis  
 familiaritate. Illud quidem nemo inficias ibit, ama-  
 ra attractione, quæ successiōe ad id quod uacuatur fit,  
 bilem per urinam uacuare posse: at per aluum nō nisi  
 ea, quæ essentia efficitur similitudine. Cæterum Ga-  
 leni locus, quem ex 14. The. meth. profert Puteanus,  
 non duntaxat de purgatione, quæ successione eius  
 quod uacuatur fit, intelligendus uenit; uerum etiam de  
 ea, quæ familiaritate qualitatis efficitur. Nam Hippo-  
 crate in libro de Natura humana, & Galeno in com-  
 mentarijs, & lib. 2. de Elementis, testibus: quum quis  
 medicamentum purgans assumit, primū id quod om-  
 nium maxime sibi secundum naturam cognatū atque  
 simile est trahit, exinde quod leuius, donec ad id quod  
 grauisimum



*Quare ad-  
strictionis,  
que in Aloë  
est, tantum  
mentio fa-  
cta sit.*

grauissimū in humoribus est, peruentum fuerit. Verbi causa: Si quis medicamentum hauriat, quod pituitam moueat, primū pituitā, statim bilem flauam, post hanc atrā attrahit. Ita ut euidentissimū sit, leuius non tantū in attractione, quę fit successione ad id quod uacuatur: imō etiā in ea, quę qualitatis familiaritate efficitur, primū, postquam scilicet familiaris humor est uacuatus, trahi. Quę subinde producit Puteanus, iterū clare monstrant, hunc ea quę meatus expurgant medicamenta, ab aperientibus non separare. Præterea miratur Puteanus, cur solius qualitatis adstringentis, præterita penitus amara, quę tamen in aloë copiosa est, atq; adeo uincit adstrictionē, meminimus, supra diximus, non ea ratione nos omisisse amarā qualitatem, quasi eandē in aloë esse negaremus, aut ociosam & inefficacem omnino putarem: sed ideo, quod illam sententię nostrę nihil officere scirem, quandoquidem ratione amaritudinis abstergere tantum, non aperire, ut abunde demonstratū est, aloën, nobis probē constaret. Quum itaque Mesue contenderet, aloën ora uasorum ita aperire posse, ut sanguinem effunderent: placuit tum illi, contrariam quę in aloë est qualitatem, adstrictionem nimirum obtrudere, qua scilicet ulcera contrahere, cicatricem obducere, atq; adeo uasorum oscula aperta ne sanguinem fundant occludere posse intelligeremus. Quare quum amaritudinis gratia duntaxat abstergere, adstrictione uero sua contrahere ulcera, & cicatricem inducere aloën nobis constaret: factum est, ut alterā consulto prætermiserimus. Nec alias, plures uel facultates ratione prædictarū duarum qualitātū, nempe amaritudinis & adstrictionis, in aloë agnoscit Galenus li. 4. de Compo. medicam. *κατὰ τόπος*, Cap. de oculorum ulceribus, ubi in hunc modum

modum scribit: *μικτὴς δ' ἐπὶ πῶς ὀδὴ δυνάμειος ἢ ἀλόη, καθά-  
 περ τὸ ῥόδιον, ἔχει μὲν γὰρ τι καὶ μικρὸν, τὸ εὐπύην περιφύκος.  
 ἔχει δ' ἐπι καὶ συπτικόν, ὡς σωάγειν τε καὶ σωουλοῦν τὰ ἔλ-  
 κη.* Quod est: Aloë mixtæ quodammodo est facultatis,  
 ueluti rosa. Habet enim quiddam etiam amarum, ab-  
 stergere potens. Habet & adstrictorium quiddam, ut  
 contrahat, & ad cicatricem ulcera perducatur. Quæ uti-  
 que Galeni uerba eo libentius produximus, quod uni-  
 uersas aloës facultates, quas manifestæ qualitatis ergo  
 obtinet, quàm breuissimè ob oculos ponere uidean-  
 tur. Iam itaque causam, cur amaritudinis non memi-  
 nerimus, succincte admodum diximus. Atqui ut ue-  
 rum ingenue fatear, nō parum pœnituit me eam qua-  
 litatem omisisse, quod non parum ad confirmandam  
 nostram de Aloë sententiã conducatur. Nam quum im-  
 modice amara non solum calida, uerum etiam sicca  
 sint, Galeno lib. 4. de Simpli. med. facul. Ca. 18. et lib.  
 7. Thera. meth. Ca. 7. teste: satis constat, aloën, utpote  
 non solum uehementer amaram, uerum etiam adstrin-  
 gentem, immodice etiam siccam esse. Sicca autem for-  
 titer quum sit citra mordicationem, ut idem Galenus  
 lib. 6. Simpl. Ca. de Aloë testatur: uulnera, potissimū  
 autem uenarum & arteriarum, utpote quæ carnosissimis  
 partibus longe sicciores sunt, glutinare ualet. Ita ut  
 utriusque qualitatis ratione, amaritudinis scilicet &  
 adstrictionis, aloë uasa perrupta, & uehementer aper-  
 ta reclusa ue, constringere atque occludere nemo non  
 intelligat. Atque hinc est, quod Galenus lib. 5. The-  
 meth. Ca. 5. ubi ex professo de sistendis sanguinis pro-  
 fluuijs, quæ è profundo erumpunt, agit, aloën ad uasa  
 rupta & reclusa utile esse medicamentū doceat uer-  
 ba eius subtexemus: *εἰ δ' ἦτοι μικρὸν ἐστὶ τὸ ἔρρω-  
 γὸς ἀγγεῖον, ἢ ἀνασώματα μετρίως, ὡς ὀλίγον εἶναι τὸ φεραμε-*



νομ αἵμα, καὶ ἀλόν καὶ μάσσα δι' οἶνον μέλανος αὐσηροῦ χυμῶ  
 φαρμακεία. Hic profecto unicus locus, ad Puteani sen-  
 tentiam prorsus explodendam sufficeret. Porro ridi-  
 culum est, quod dein ceptus Puteanus temere asserit, Ga-  
 lenum non alia ratione fusius eas, quas Aloë ab astri-  
 ctione facultates, quam quas ab amaritudine habet,  
 quæ tamē sunt plures & præstantiores, retulisse; quam  
 quod eius amaritudo ut omnibus notissima est, ita  
 quoque eius qualitatis facultates. Contrā enim omnes  
 censerent, Galenum copiosius amaritudinis faculta-  
 tes, utpote multas, quam adstrictionis debere retulisse,  
 Sed quid opus est ijs nugis immorari, cum euiden-  
 tissimum sit, Galenum sæpe qualitates herbarum tan-  
 tum indicasse, unde quivis particulares effectus nullo  
 labore colligere posset: in Capite uero de aloë non  
 duntaxat qualitates, uerum etiam earundem faculta-  
 tes diligentissime exposuit, ut puerile illud Puteani ef-  
 fugium hic locum non habeat. Deinde iniuria affi-  
 cit, & falsò nos accusat Puteanus, quasi empiricorum  
 more, simplicium medicamentorum facultates uena-  
 remur, non à natura aut qualitibus eorundem, iux-  
 ta Galeni doctrinam: sed potius à solius autoris testi-  
 monio, citra rationem, Eam siquidem Galeni de co-  
 gnoscendis simplicium medicamentorum facultati-  
 bus methodum non domi tantum & defunctorie,  
 aut (ut Græci loquuntur) *παρρηγως* legimus: sed ean-  
 dem etiam publicè in Scholis nostris medicis accura-  
 ta diligentia magno auditorum nostrorum, ut non dif-  
 fidimus, commodo enarrauimus. Cuius rei, sat scio, si-  
 delis testis est Gallicæ gentis uir multæ eruditionis  
 Ioannes Lipareus Brantiliacensis, qui nos libros hos  
 Galeni explicantes assiduo & diligenter audiuit. Qua-  
 re præter necessitatem, & temere admodum tot uer-  
 bis

Ioan. Lipa-  
 reus.

his inculcat Puteanus, speciales medicamentorum fa-  
 cultates non raro ex generalibus discendas esse, quan-  
 do id optime sciamus: neq; illo post Galenū doctore  
 ad hanc rem: ne sibi impensius placeat, nobis opus  
 erat. Verum quid mirum, Puteanum tam arroganter  
 sibi omnia uendicare, atque tam impudēter iudicare,  
 cuius iudicium prorsus excæcarunt φιλαυτία, ambi-  
 tio, audacia: Satis autem nostra hæc Apologia doce-  
 bit, quàm scilicet in Galeni methodo uersati simus.  
 Insuper non est ut hæc uerba expresse, ALOE CIT SAN-  
 GVINEM, in Galeno scripta esse exigamus: Puteanus  
 tantum doceat, Galenum talem aliquam tribuisse A-  
 loë qualitatem, ob quam aperire ora uasorum possit:  
 & nos uictos fatebimur. Hoc tamen nunquam illum  
 præstare posse, certo scimus, neque enim ratione ad-  
 strictionis, ut sole clarius est: neque etiam amaritudi-  
 nis ergò aperire ualet aloë, ut abunde monstratū est.  
 Reliquum est igitur, ut aliam qualitatem, quàm illi tri-  
 buat Galenus, in medium proferat. Nullam autē po-  
 terit, nisi acrimoniam: à qua certe tantum abest aloë,  
 Galeni sententia, ut eam omnis mordicationis esse ex-  
 pertem, id quod etiam experientia confirmat, & puris  
 atq; à sordibus purgatis ulceribus minime molestam  
 esse dicere non sit ueritus, quod tamen asserere nun-  
 quam potuisset, si acrē esse cognouisset. Iam arbitror  
 omnibus perspicuum est, quàm friuole & nullius mo-  
 menti argumenta produxerit Puteanus: adeò ut puer  
 etiam intelligere possit, quàm ubique Galeni locos in  
 suam sententiam callidè torserit. Tertia ratio, qua  
 Aloën aperire ora uenarum ostendere conatur Putea-  
 nus, hæc est: Acerba & refrigerantia medicamenta,  
 Galeno lib. 5. The. meth. teste, sanguinis eruptionem  
 ab internis partibus corporis exilientem curant: quia

Aloë acri-  
 monia ex-  
 pers est.

Tertia ra-  
 tio Puteani.



scilicet cogunt, densant, & refrigerant. Vt autem illa hac ratione sanguinis fluxum sistere, ita amara expurgantia, prædictis qualitate & facultate contraria, laxare, aperire, calefacere possunt. Aloë igitur, quæ fortiter amara est, & expurgans, laxabit, calefaciet, & ora uenarum aperiet. Hæc est putida quidem Puteani ratio, qua amara omnia aperire, euincere se posse confidit. Sed non uidet homo lippis oculis præditus, hoc quod ipse pro confesso habet: nempe amara acerbis propriè & uere contraria esse, nos minime concessuros. Sunt equidem acerba frigiditatis ratione amaris, quæ calefaciunt, contrariata: at non quia cogunt, & densant, amara siquidem, ut recte ex Galeno colligit, expurgant, detergunt, & quæ in uenis est crassiciem incidunt, non autem laxant & aperiunt. Hæc enim non *ρῶτικὰ ἢ ἐκκαθαρτικὰ* Græcis, sed longè alio nomine appellantur, quippe *χαλασικὰ*, id est laxantia ipsæ dicuntur. Et ut hæc humectant, Galeno lib. 5. Simpl. med. facul. teste: ita amara siccant. Quæ uero aperiunt, ea *ἀνασσομωτικὰ*, ut diximus, appellantur. Quod autem amara acerbis non sint qualitate in uniuersum contraria, inde abundeliquet, quod eadem utrisque insit qualitas. Sic cant enim acerba, ut docet lib. 1. Ca. 37, et lib. 4. Ca. 6. de Simpl. medi. facul. Galenus, siccant etiam amara, ut idem lib. 7. Thera. metho. Ca. 7, et lib. 4. Simpl. Ca. 18, testatur. Quum itaque acerba & amara in una qualitate conueniant, ut eius qualitatis quoque ratione easdem habeant facultates necesse erit. Habere autem easdem facultates, hinc euidentissimum fit. Vt enim acerba contrahere, atque uulnera glutinare possunt: sic quoque aloë, quæ amara est, ut docet Galenus libro 6. de Simpl. medi. facul. eadem glutinare, & ad cicatricem ducere ualet. Videat nunc, quomodo  
amara

Amara acerbis propriè loquendo non sunt contraria.

amara acerbis qualitate & facultate contraria sunt, Puteanus. Verū instat hoc loci rursum, & Galeni locum ex lib. 4. de Simpl. medica. facul. Ca. 17. producit, ubi in hunc modum scribit: Quod extra corpus in ulceribus nati sunt præstare amari saporis, id ipsum in corpore assumpti efficere valent, abstergunt enim, expurgantq; & quæ in uenis est crassiciem incidunt, quamobrem menses mouent, & ijs qui sanguinem spuunt, noxii sunt. Quæ si uera sunt, inquit Puteanus, aloë quæ fortem habet amaritudinem, si non sit lota, menses, sputum quoque sanguinolentum prouocabit. Hoc certe argumento, ueluti muro quodam a beneo confusus Puteanus, planè nos expugnasse arbitrat, non animaduertens se pueriliter admodum sic colligere: Amarum sapor ijs, qui sanguinem spuunt, noxius est; igitur aloë, quæ amara est, ijsdem noxia erit. Neq; enim, ut in initio huius disputationis diximus, unum idemq; est amarum & amarus sapor, seu amaritudo. Nam quod amarum est, non amarum modo est, sed præter amaritudinem alias etiam qualitates recipit non paucas, Galeno lib. 3. de Simpli. medi. facul. Ca. 14. teste: quibus quidem omnibus aget, adeo ut una quoque perpetuo actio eius non sit, amarus uero sapor in natura sua absolutus, seu amaritudo ipsa, unum id solum perpetuo est quod est, ideoq; una quoque perenniter eius actio est. Quum itaq; aloë amara sit, non autem amaritudo: hoc est, permistam illi habeat adstrictionem, qualitatem ab amaritudine alienam, fieri non potest ut omnes amari saporis, qui minime sibi alienas qualitates permistas obtinet, facultates ei recte & rationabiliter tribui queant. Hinc est quod sanguinem spuuntibus, ut ea quæ exactè amara sunt, noxia non sit, extergendi enim & incidendi eius

Galeni loci expenditur.

Amarum.

Amarus sapor.



*Finis exacte amarorum.*

*Amara, quibus adstrictio coniuncta est, exacte amarorum facultates non obtinent.*

*Exacte amara que.*

facultas, per adstrictionem amaritudini coniunctam, fracta & debilitata est, Si enim terminus seu finis saporis amari, qui scilicet in sua natura absolutus est, Gale no lib. 5. de Simpl. medi. facul. Ca. 17. scribente, est abstergere: cur non adstrictio, quo minus finem hunc consequeretur, amarum impediret? Quum igitur amara, quibus adstrictio permixta est, amari saporis finem atque adeo facultates omnes consequi non possint; non est quod ora uenarum, quod acria tantum possunt, aperiant, frangi uero, seu imminui in amaris extergendi facultatem, ob iunctam illi adstrictionem, aloë (de qua nobis potissimum cum Puteano disceptatio est) abunde monstrat, Hæc enim etsi uehementer amara sit, tamen quia simul etiam astringit, fit ut paululum extergat, id quod in primis testantur ea, quæ lib. 6. Simpli, Ca. de Aloë, scripta reliquit Galenus, dicens: ὁλως ἀποκρόν ἐοικά τε καὶ διαφορεῖν ἀμα πείφουκεν, μετὰ καὶ τὸ ρύψην ἀπὸ ὀλίγου εἰς ὄσον ἔλκεσι καθαροῖς ἀλυ-  
 τωρ. Quod cum ita sit, euidentissimum est, locum Galeni, ubi ait Amaros saporis his qui sanguinem spūit noxios esse, nostræ sententiæ nihil aduersari, quum non de ijs amaris, quibus alia permixta qualitas est, loquatur: sed de ijs, quæ exacte amara sunt. Sic autem uocat Galenus lib. 4. de Simpl. medi. facul. Ca. 19. quæ nulla sensu notabili alia participant qualitate. Hæc uero se ita habere, satis testantur ea, quæ mox uerbis per eum citatis subiungit Galenus, dicens:  
 Quippe quum isti adstringentia & uiscosa, non incidentia diuidentiaq; exposcunt, His enim uerbis sole clarius fit, non de omnibus amaris locutum esse Gale num: sed de ijs tantum, quæ exacte amara sunt. Aloë igitur cum adstringat, & non exacte amara sit, sanguinem excreantibus noxia non erit, Nisi enim hoc con-  
 cesserit,

cesserit, necesse erit ut Galenum erroris insimulet, qui lib. 8. Simpl. Rhabarbarum, quod (ut paulo post etiã fatetur Puteanus) amaritudine sua extergit, meatus expurgat, crassa incidit: adde quod subacre quoque existit, sanguinem spuentibus, & dysentericis conferre scribit. Cogitet itaque Puteanus, in quas angustias iam detrusus sit, et quò eum ambitio deduxerit. Quod si uero amarum ab amaritudine discernere nouisset, (id quod certe eum, utpote parturientem in hos libros Commentarios maxime decussisset) nunquam tam contumeliosa, falsò tamen & impudenter excogitata, in Plinium atque me dicere uoluisset. Ut uero uniuersi intelligant, quàm iniurius Plinio, atque adeò mihi fuerit, age præter iam dicta autorum etiã grauissimorũ testimonijs doceamus, quàm recte Aloën, quæ nõ exacte amara est, sed etiam adstringit, sanguinis excretionibus curare tradiderit Plinius. Habet enim huic suæ sententiæ in primis subscribentem Dioscoridem, qui lib. 3. aloën *μὲν ὀδύνην ψυχρὴν πικρομένην, αἱματός ἀγαγὼς ἐπιχέει* scribit, dein Aëtium, qui lib. 8. ca. 63. reiterationis sanguinis curationem ex professo docens, aloën cum aceto permistam, ijs qui sanguinem spuunt exhibendam esse docet. Temperandum igitur Puteano à scurrilibus illis maledictis, & aculeis contumelia plenè erat: ut qui Plinium hoc loco non errãtem, sed uera scribentem nullo candore reprehenderit. Neq; opus erat, ut me moneret, ut cum Plinio dediscerẽ impune occidere homines: cum nihil unquam magis in uotis fuerit, quàm ut sinceram illam, & ab omni errore alienissimam medicinam discerem, et exercerem, ut hac ratione ægrotis pristina sanitas recuperaretur. Quin potius ipse discat bonis, & rem medicam profuili iuuare conantibus uiris, non tam impudenter & mendaciter

Plinius à contumelia defenditur.



*Galeni lo-  
cus expen-  
ditur.*

mendaciter detrahere. Certe grandæviam ætatem, in qua iam esse Puteanum audio, ista scurrilitas haud decet: lenonem autem & histriionem, non parum exornaret. De Plinio quid sentiam, post dicam. Locus quem ex libro de Curandi ratione per sanguinis missionem citat Puteanus, nihil nobis aduersatur: ut qui hoc, quod putat, probare non possit. Nam teste Galeno lib. 2. de Simpl. med. facul. Ca. 9. medicamentum quod in iudicium uocatur, non mixtum, sed simplex & impermixtum, atque ab omni extranea qualitate alienum esse debet. In præsentia uero, quum aloë multa quæ menses mouent, ut cinamomum, xylobalsamum, asarum, & crocus, commixta sint: non est quomodo aloë tribuatur tantum, quod alijs potius debetur. Quare sequelam hanc haud agnoscimus: Hiera picra ex aloë composita menses ducit, igitur aloë idem potest. Sed demus, aloën quia crassos incidat humores, & meatus abstergeat atque expurgat: (sunt enim hæ facultates amaritudinis, menses ducere posse) id ipsum tamen non ea ratione, quod ora uenarum aperiat: sed quod fluxilem) ac qualitate contemperatum sanguinem reddat, Galeno lib. 5. de Simpl. med. facul. Ca. 21. teste, efficiet. Adeoque aliud est, ducere menses, ab eo quod est aperire ora uenarum. Ducunt enim menses proprie, quæ incidunt sanguinē crassum, atque adeo fluxilem, & qualitate contemperatum reddunt. sic enim mensibus abundantem, Galeno loco iam citato teste, copiam suppeditabunt, ut sunt multa è numero amarorum. Ora autem uenarum aperiunt acris, quæ scilicet erodunt, uterique acetabula hac ratione interdum aperiunt, & è uulua sanguinem profluere efficiunt: qui certe profluxus improprie menstruus dicitur, ut abunde patet legenti Galenum lib. 5. The. meth.

Ca. 51

*Ducere mē-  
ses, & ape-  
rire ora ue-  
narū nō idē.  
Menses du-  
centia quæ.  
Ora uena-  
rum ape-  
rientia.*

Ca. 5. Neque enim certo mensium circuitu fit, sed durat, quoad uasa reclusa glutinata fuerint. Iam putato omnes cognoscere, quam bellus futurus sit Galeni enarrator Puteanus, quum nullum adhuc locum ex Galeno, quem recte intellexerit, in medium protulerit. Denique cum rationes illæ tres, tanquam fundamenta quædam, quibus omnes aliæ innitantur, ab eo productæ, tam leues ac frigidæ sint, ut quod maxime conantur euincere haud ualeant; facile æstimabit æquus Lector, quales hæ, quæ ijs superstruuntur, futuræ sint. Posthabitis autem rationibus, deinceps exemplis ex Galeno, si Dijs placet, sumptis, nobiscum agere Puteanus, pergit. Primumq; à bilis flauæ exemplo sic colligit. Bilis amara est, ut multis in locis Galenus docet: hæc autem hæmorrhoides aperit, at sanguinem prouocat: igitur aloë, quæ itidem amara est, hæmorrhoides quoque aperire, et sanguinis profluuium irritare ualebit. Egregium sanè argumentum, quod uel puer, qui primis saltem labris medicinã degustasset, diluere possit. Concedimus certe, bilem flauam amaram esse, & hæmorrhoidas aperire posse: at negamus hanc ideo aperire, quia amara est, bilis enim ratione suæ amaritudinis, nisi accederet acrimonia, nunquam hæmorrhoidas aperiret. Acrida autem, & minime amara, aperire posse satis testatur Galenus lib. 5. de Simpl. med. facul. Ca. 13. in eum modum scribens: ἀνασομωτικῆς διατάξεως, ὅσα δριμύτα ἐσὶν, καὶ γὰρ ἀπὸ πάντων. κικλάμινος, σκόροδα, κρόμνα, τῶν ταύρων αἰχλάϊ. Quod est: Aperientis facultatis sunt, quæcunque acrida, & terrena, ut ciclamīnus, allia, cepe, fel taurinū. Et quod bilis non amaritudinis, sed acrimoniæ ratione hæmorrhoidas aperiat, euidentissimum est ex ijs, quæ de bile scripta reliquit Galenus lib. 10. de Simpl. med.

Puteani argumenta ab exemplo ducta.

I.

Bilis hæmorrhoidas, quia acrida, aperit.



med. facul. sic inquitens. εὐδ' ἡλον μὲν αὐτὴν ἐνεσι καὶ τῶ τὰς αἰμορροΐδας ἀνασομοῦν, ὅπως δὲν σφικτὸς ὁ χυμὸς ἔτως, ἀλλὰ ἐπὶ τοῖς χρωμῆοις αὐτοῖς φαίνεται δ' ἀκνωρ. hoc est: Li-  
 quet itaque ex eo, quod hæmorrhoidas aperit, quàm  
 acris sit hic humor, sed & ijs qui utuntur mordicans ef-  
 se apparet. Non est igitur mirum, si bilis, quæ non so-  
 lum amara, uerumetiam acris est, uenarum ora ape-  
 riat. Idem uero aloë, quæ amara quidem est, at non a-  
 cris, sed potius adstringens, efficere minime potest.  
 Quàm itaque prorsus dissimile sit hoc primum Putea-  
 ni exemplum, nemo non, nisi talpa cæcior sit, uidet.  
 Quod certe turpissimum est, tantum methodi simpli-  
 cium medicamentorum facultates noscendi magistrū  
 non animaduertisse: qui tam audacter reliquis omni-  
 bus, Manardo potissimum & mihi, huius ignoratio-  
 nem exprobrare non ueretur. II. Secundum exem-  
 plum, quo Puteanus aperiendi facultatem in Aloë  
 probare contendit, priori simile est, neque enim sequi-  
 tur: Elaterium, quod amarum est, menses cit: igitur  
 ora uenarum aperit. Nam aliud est mouere menses,  
 & aliud est sanguinem ex utero promanare, ut paulo  
 ante ex Galeno demonstrauius. III. Idem ad tertium  
III. exemplum de Iride respondendum uenit. De Oro-  
 bo, quod sanguinē per urinas euocet, nō mirandum,  
 quia id non efficit hoc nomine, quod uenarum ora a-  
 periat: sed potius quia sua amaritudine meatus oscula  
 ue ex uena caua urinam excolantia, plus æquo exter-  
 git atque expurgat, amplioraq; facit, ita ut non solum  
 ferosi aqueiq; humores, uerumetiam sanguis per ea  
 exoletur, ueluti supra abunde de Rubia diximus.  
 Cum igitur aliud sit, urinam sanguinolentam moue-  
 re, aliudq; sit ora uenarum aperire, ut ibidem à nobis  
 ostensum est (primum enim amara omnia copiose in-  
 gesta

gesta possunt: alterum, quæ acris existunt) nemo non intelligit, hoc quarto exemplo nihil prorsus posse aduersus nos probare Puteanum. Prassium Galenus <sup>V.</sup> non scribit sanguinem euocare, sed menses promouere. Differre autem inter se hæc duo, aperire & menses ducere, supra etiam satis superq; ostensum est. Exem- <sup>VI.</sup> plum capparum corticis, nihil sententiæ nostræ aduersatur. Capparum radicis cortex, ut tradit lib. 7. de Simpl. med. facul. Galenus, non duntaxat amarus, sed & acris est, Proinde nulla illius cum aloë similitudo, quæ omnis acrimoniæ expers existit. Ita perpetuo amara omnia confundit Puteanus, non animaduertens, num alia amaritudinī copulata sit qualitas: atque adeo non raro eas facultates amaritudinī tribuit, quæ debentur acrimoniæ, ut in cortice capparum fecisse manifeste deprehenditur. Quare nobis monendus uenit, ut paulo quàm hic fuerit circumspiciatur in suis subiinde, quos parturit Commentarijs sit, Galenicq; locos rectius expendat, intimiusq; introspiciat, quod ni fecerit, non lucem, sed meras tenebras tanto autori adferet. Hactenus exempla à Puteano prolata, qualia sint monstrauius. Reliquum est, ut qualem nobis obrudat de aloë experientiam, expendamus. Primam autem ijs uerbis producit, Experimentum medicum, qui assiduo circa ægros curandos uersantur, glandem alui deijciendæ gratiâ suppositam, si ex picra, uel ex sola aloë cum melle conficiatur, ut plurimum à uenis hemorrhoidicis sanguinē prouocare. Elegans sane experimentum, à glande ex aloë confecta sumptum. Quis est uero, qui nesciat eiusmodi glandi, ut ferè reliquis omnibus, mel atque salem adijci? Videat itaque Puteanus, quàm hic experientiam iactare ualeat, cum aloë se sola supponi non possit, nisi sibi ad-

Experimentum  
ta Puteani  
de aloë.



iunctum mel habent, Mel autem, cui manifesta inest acrimonia, Galeno lib. 7. de Simpl. med. facul. teste, cur non hæmorrhoidum ora aperiret? Quid multat quum omnibus glandibus mel adijciatur, nulla potest planè ab ijs in præsentia sumi experientia. Et mirari certe satis non possum, quod hanc medicorum experientiam proferre uoluerit, cum tamen id non perpetuo, sed ut plurimum aloën suppositam posse met ipse asserat. Chirurgorum & Guidonis experientia haud alia est, quàm aliorum medicorū, de qua iam abunde satis dictum est. Neque enim solam, sed mellis mixtam, salè etiam interdum, aloën supponūt. Nos rursus Puteano obijciemus autoritatem & experientiam ueterum: in primis autem Dioscoridis, qui lib. 3. tradit, aloën sanguinis eruptiones ex hæmorrhoidibus factas sistere. Dein Galeni, qui lib. 6. de Simpli. med. facul. ulcera quæ in ano sunt, glutinare & sanare posse scribit. Si ulcera ani, ergo uenarū etiam, quæ illic sunt reclusiones. Non autem uasa tantum, quæ in ano sunt rupta et reclusa, imò etiam reliqua omnia, modo non admodum magna sint, aperta occludere, eodem teste, aloë potest. Aëtius etiam, grauis autor, lib. 14. Ca. 5. sanguinem ex hæmorrhoidibus profluentem, aloë cum posca apposita sistendum esse docet. Quinetiam Auicenna, cuius testimonio cōtra Puteanum Arabibus additum uti libuit, Canone secundo, Ca. 67. aloën cum uino hæmorrhoidibus impostam, sanguinem ex eis promanantem compescere testatur: & fortassis etiam experientia didicit. Ego quoque infinitis catapotia de aloë deuoranda præbui, & ego ipse iisdem non raro usus sum, nunquam autem ora uenarum aperire comperi. Iam igitur liquet, sententiam suam Puteanum neque rationibus, neque experientia

perientia comprobasse: ita ut planè in eodem quo an-  
tea luto Mesue, quem defendendum suscepit, hæsitet.

Quæ sequuntur, ad Manardum peculiariter uiden-  
tur pertinere: quæ refellere nolo, ut qui haud dubie  
meo patrocinio non indigeat, & qui forte aliquando  
habiturus sit suæ sententię propugnatorem me dexte-  
riorem melioremq̃. Nos nostras potius partes tuebi-  
mur, & ea quibus rationes & argumenta nostra con-  
futare conatur Puteanus, diluemus. Primum om-  
nium falsò me inferre eum in modum inquit: Aloë ue-  
narum ora claudit, igitur eadem non aperit. Sicut nõ  
sequitur: aloë sanguinis fluxum sistit, ergo ipsum non  
prouocat. Similiter nec si aloë aluum sistit, propterea  
ipsum non mouet. Nam unum idemque simplex me-  
dicamentum, iuxta Galeni doctrinam, non solum ua-  
rias, sed & pugnantes sapius in se continet facultates.  
Hæc Puteanus. Non certe ignoramus, interdum in  
uno eodemq̃ medicamento contrarias esse faculta-  
tes, quod id ipsum Galenus lib. 3. de Simpl. med. fa-  
cul. Ca. 13. & 14. aperte innuat, & experientia confir-  
met: sicut in aloë fatemur esse facultatem adstric-  
toriam & purgatoriam, adedò ut non necesse fuerit, hoc  
Puteanum tot uerbis docere. Hoc autem constanter  
inficiamur, aloë posse ora uenarum aperire, sangui-  
nisq̃ fluxum irritare. quapropter etsi hac forma aut  
ratione argumenti, quod sciam, nusquam in meis li-  
bris usus sim: tamen iam ut bonam, contra Puteanum  
defendam. Neque enim præposterè sic aliquis collig-  
get: Aloë adstrictionis ratione ora uenarum claudit,  
igitur eandem non aperit. Consequentia probatur,  
quod non habeat aliam in se qualitatem, propter quam  
hac facultate prædita sit. Obtinet quidem aliam præ-  
ter adstrictionem in se qualitatem, nempe amaritudi-

Ad Puteani  
obiectiones  
respondetur.

“  
“  
“  
“  
“  
“



nem: atqui huius nomine, ut fusissime, imò ad nauseã usque iam demonstratum est, non aperit. Reliquum igitur est, ut Puteanus aliam inesse aloë qualitatem, propter quam ora aperiat uenarum, doceat: acrimoniam nimirum, huius enim effectus est apertio. Verum supra etiam ostensum est abunde, aloën non esse acrem. Quæ cum ita se habeant, & aloë nullius manifestæ qualitatis ratione ora uenarum aperiat, necesse erit ut Puteanus cum Montuo, quem tamen hoc nomine uehementer reprehendit, ad cæcã illam, ut loquitur nostri, proprietatẽ confugiat. Videat itaq; Puteanus, in quas tricas eum peruersa ratiocinandi libido deduxerit: in eas nimirum, unde se, nisi fateatur errorem, expedire non queat. Age autem doceat Puteanus, aloë inesse acrimoniam, & confestim illi triumphum decernemus. Sed id neque classicorum scriptorum testimonijs, neque experientia ulla ostendere ualet: ut hoc nomine potius nobis uictoria debeat, ut qui planum fecerimus, aloën amaritudinis ergò per se ora uenarum aperire non posse. Porro non diximus, aloën ideo non aperire, quia clauderet, nam perinde fuisset, ac si dixissem, brassica purgat, igitur non adstringit: sed potius quia adstringeret, nullamq; in se obtineret acrimoniam. Amaritudinis nulla facta est mentio, ut quam instituto nostro nihil officere sciebamus. Quare modestius hic Puteano de Manardo & me pronuntiandum erat. Atqui ambitio, & stulta illa philautia, hominem impellunt, ac precipitem quasi agunt, ut passim liuorem & temeritatem suam prodant. Quàm probe autem exerciti sumus in arte facultatum medicamentorum noscendorum, æquus potius Lector, quàm ego impudenter, ut solet Puteanus, iudicet. Pergit posthac Puteanus, ac uerbosissime do-

cet,

cet, non esse mirum, uni medicamento varias & contrarias inesse qualitates. quasi uero id ipsum negaremus, cum potius id docendum esset, alocn posse aperire ora uenarum. Quare nisi mirifice sibi placuisset, & neminem præter ipsum in Galeni scriptis uersatum fuisse sibi constanter persuasisset, potuisset hic chartis parcere: quod iam pridem hæc omnia in scholis nostris medicis alios docuerimus, tantum abest ut doceri à Puteano necesse habuerimus.

Post hæc ab instituto paululum progressus, de Rhabarbaro multo præter necessitatem immiscet. Quod enim tres qualitates, amaritudinem nimirum, acrimoniam, & adstrictionem in se habeat, Galenus lib. 8. de Simpl. medi. facul. satis innuit: nec opus erat, tot uerbis ostendere Puteanum. Deinceps quatuor errores in usu Rhabarbari, ut ipse arbitratur committi consuetos colligit: qui cum nihil ad nos adtineant, non necesse erit, ut in ijs confutandis diu immoremur. Primum errorem, quod scilicet Rhabarbarum nostrum ustum in fluxu intestinorum excoxiatiuo sistendi gratia exhibent, iam pridem indicauimus, damnauimusq̃, quare non est, quod hoc in loco Puteano refragemur. Vnum hoc mirari satis non possum, quare erroris huius causam in Dioscoridem transferre uoluerit: cum tamen non ignoret, quam omnes ferme ij medici, quos notat, Dioscoridem contempserint, aut rarissime saltem attigerint: cum certe in Mesuenum potius, quem tamen scienter, ut pote cuius patrociniu suscepit, transferenda erat, ut in eum quem noctes diesq̃ in manibus habuerunt, & quæ unum hac in re tanquam ducem optimu sectari uoluerunt. Is enim tostum assum ue rhabarbaru plus, quam non tostum adstringere, apertissimis uerbis docet, ita scribens: Eius quod purum.

De Rhabarbaro.

I.

Mesue, non Dioscorides, primi erroris autor.

rum.



„ rum est, infusio competit, quando solum queritur ab-  
 „ stersio & solutio, & oppilationū apertio. Et ipsius cō-  
 „ triti exhibitio quando quaritur, ut post illam in uisce-  
 „ ribus uestigia contractionis remaneant. Verum ex eo  
 „ quod assum est, uehementius fit illud, & adhuc uehe-  
 „ mentius ex adusto. Hactenus Mesues uerba, quibus  
 medicis nonnullis errandi occasionem præbuit, bona  
 fide retulimus, quæ tamen peruerse, ut alia multa, Pu-  
 II. teanus hic dissimulat. Secundum quem uocat er-  
 rorem (quum tamen error minimè sit) quod nimi-  
 rum omnes hodie medici spicam cum rhabarbaro ex-  
 hibebant, iterum eodem quo antea astu, in Galeni ra-  
 tionem perperam intellectam transfert: quum tamen  
 probe illi constaret, quam raro aut propè nunquam  
 eius scripta legerint, ut hoc nomine non facile illis er-  
 randi occasionem præbere potuerit. Igitur illum Me-  
 sue, haud aliter quam priorè, acceptū referre oportuit,  
 qui inter reliqua sic de Rhabarbaro scribit: Non præ-  
 „ termittatur, quin cadat in societate sua spica, est enim  
 „ proprii iuuamenti cū ipso, Hæc Mesue. Quæ sanè uer-  
 ba effecerūt, ut hodie omnes ferè medici, potissimum  
 autem ij qui in medicamentis propinandis Mesues  
 præcepta sequuntur, cum Rhabarbaro spicam con-  
 iungant. Id quod non eò commemoro, quasi errare  
 hoc in loco Mesuen existimem: sed ideo potius, ut om-  
 nes inde Puteani candorem discant, qui eum quem  
 defendendum suscepit, manifeste erroris insimulare  
 non audet: aut, quod credibilius est, dolo quodam er-  
 rare dissimulat, cuius tamè sententiam confutare, imò  
 ut ipsi uidetur, prorsus explodere nō ueretur. Porro  
 errare præfatos medicos non alia ratione ostendit Pu-  
 teanus, quam quod dicat, eos perperam adijcere Rha-  
 barbaro spicam, quia putet eius acrimonia, Rhabar-  
 baro

bari iurari amaritudinem, quam solam cum adstrictione credant esse in Rhabbarbo, ut nedum serosa & biliosa, ut caetera amara, uerumetiam crassa & viscosa, acrimonia spicae incisa & expulsiōni praeparata educere queat. Atque adeo decipi eosdem arbitratur, quod acria Rhabbarbo addant, quod tamen natiuam acrimoniam, & multo maiorem quam spica habet.

Haec sunt Puteani machinae, quibus boni sui patris Mesues, & medicorum hunc sequentium sententiam oppugnare nititur. Quam uero firmam sint, & quo cando re producta, iam ostendemus: hoc praemonentes, nos hic de spica nostra, seu officinarum, num uera aut adulterina sit, non uelle contendere: sed duntaxat, quod perfide & citra omnem rationem a suo Mesue, quem

tamen numinis instar colit & ueneratur, defecerit Puteanus, demonstrare. Quod ut rectius fiat, animaduertendum quod purgantibus medicamentis duplici de causa medici alia quaedam, uerbi gratia mastichen, cinamomum, zingiber, spicam, & id genus similia, admisceant. Primum quod apta stomacho, gratiaque odoris sint, & medicamentosam uim pharmacorum frangere possint. Iuxta quam rationem Hippocrates lib.

2. de Vict. morb. acut. 11. pleuriticis purgatorium exhibens medicamentum, misceri aliquid ex odoratis praecipit, in eum modum scribens: Si uero sub septo transuerso sit dolor, & ad iugulum non ascendat, ueratrum nigro, aut peplio aluum ducere oportet: ad ueratrum quidem daurco, aut seselide, aut cumino, aut aniso, aut alio quopiam odorato addito. Apparet itaque, quod in ijs miscendis maxime ad odorem, ut ait Galenus lib. 8. de Compo. medi. 171. τὸς, Ca. 3. respexerit, quo medicamentosam uim, quae hominis naturae contraria est, mitigaret & obtunderet. Quemadmodum enim

*Purgantibus medicamentis duplici ratione alia misceri medicamenta.*

cc  
cc  
cc  
cc



graueolentia omnia stomachum subuertere solent, sic  
 odorata roborare, Hac ratione in picrae compositio-  
 ne mastichen miscuere, ut inquit Ca. 2. iam citati libri  
 Galenus: tanquam eam, quae stomacho commoda &  
 odora sit, & quae medicamento sam aloes uim frange-  
 re queat. In commentarijs etiam super Hippocratis lo-  
 cum paulo ante a nobis citatum, Galenus perspicue  
 causam, cur odorata purgantibus medicamentis adda-  
 tur, ijs uerbis indicat: Quum omnia purgantia medi-  
 camenta uentrem, potissimum os ipsius, quod maxi-  
 me tum neruofum, tum sensibile existit, laedant; ob id eo-  
 rum, quae boni sunt odoris, mixtio excogitata est, ne  
 sola synceraque purgantium medicamentorum facul-  
 tas os uentris tangat. Deinde miscuerunt aliqua pur-  
 gantibus medicamentis, ut extergendi, attenuandi que  
 sua facultate crassos uiscidosque humores incidant, &  
 meatus per quos humores deducendi sunt recludant.  
 Sic Galenus lib. 8. de Compo. med.  $\eta\lambda\tau\acute{o}\omega\sigma\varsigma$ , Ca. 2.  
 cinamomum, quod tenuissimum partium est, hierae  
 adiectum esse testatur, ut uentris meatus aperire pos-  
 sit; extergereque ac attenuare, si quid uiscosum aut cras-  
 sum humoribus inhareseat. Galenus etiam libro De  
 ijs quos purgare oporteat, Ca. 8. hac ratione interdum  
 addi nonnulla purgantibus medicamentis, ijs testatur  
 uerbis: Quum omnia medicamenta purgantia uen-  
 triculo obsint, praesertim huius ori, eo quod neruis &  
 sensu praeditum sit; propterea eorum mixtio, quae pla-  
 cido iucundo ue sunt odore, accommodata est, ne scilicet  
 sola & pura medicamentorum uis os uentris attingat.  
 Quum igitur duplici nomine medici spicam Rha-  
 barbaro misceant, nempe ut odoratam, & ut inciden-  
 di facultate praeditam, nullo candore Puteanus unius  
 duntaxat mentionem faciens, alterum omisit, Vtroque  
 autem

Medici iu-  
 niores recte  
 spicam Rha-  
 barbaro  
 miscent.

autem nomine recte miscent, ueluti iam docuimus, ut uidelicet uentriculum & os eius roboret, ac crassos incidere humores, atque meatus recludere queat, adeo ut immerito hoc loco medicos recentiores ob hoc factum erroris insimulet Puteanus, cum grauissimorum autorum testimonijs, atque adeo rationibus firmissimis sese tueri possint. Caterum possem hic multa contra erroneam Puteani sententiam producere: sed in re manifesta nolo uerba temere fundere. De scordio non est quod tantopere gloriatur Puteanus, cum multi antequam hic suus prodiret in publicum libellus, idem de scordio scripserint, Quare ob insignem illam, quæ ipsum transuersum agit superbiam, Thesallum illum impudentissimum & perfrictæ frontis hominem imitari uidetur: qui rabie quadam, ut ait Plinius, in omnis aui medicos perorauit: tantaq; arrogantia præditus fuit, ut monumēto suo *ιατρονικη*, hoc est medicorum uictorem sese inscripserit. Sed ad tertium III. erratū ueniamus, quod certe incurrere putat eos, qui dilutum, seu (ut illi loquuntur) infusionē solum Rhabbari exhibent. Sic autem uocant, ubi in puluerē Infusio. redactum, aut in partes minutissimas concisum Rhabbarum, certo quodam tempore in liquore aliquo macerant. Etsi autem cum purgandi tantum & abstergendi illis est intentio, sese ab errore tueri possint, qui solo utuntur diluto: tamen mihi quoq; consultius esse uidetur, ut integra Rhabbari deuoretur substantia, ut uidelicet à purgatione eius adstrictoria uis inter nis uisceribus robur addere queat. In hoc autem nemo sit qui hæsitet, quod ij toto coelo errent, qui dysenteria correptis Rhabbari dilutū bibendū exhibent. Nam ut recte Mesue dixit, dilutū seu infusio substantias Rhabbari segregat, adeoq; ut omni adstrictioe f 2 uacet,

Scordium  
multis ante  
Puteanū no  
tum fuit.

III.

Infusio.

Dilutū Rha  
barbari dy  
senteria cor  
reptis ad  
uersissimū.



uacet, efficit, hæc enim in substantia relinquitur partium maceratarum, qualitatem uero eiusdem acrem & amaram retinet, hocq; nomine intestinis exulceratis impendio nocet. Verum ea de re alibi multa diximus. *III.* Quartum ex Puteani sententia erratum ad nos potissimum attinet, ideoq; in eo diluendo paulo longiores erimus. Contendit autem is, Rhabarbarum à Rhapontico neque specie, neque facultatibus diuersum esse. Nos contra differre genere inter se existimamus; & Rhaponticum, uetustiores tantum Græcos, Dioscoridem potissimum & Galenum; Rhabarbarum uero posteriores Græcos, & Arabes, cognouisse dicimus. Et sic intelleximus, dum ea in erratis per omnia diuersa esse affirmaremus. Diuersa itaque per omnia Rhaponticum & Rhabarbarum sunt, hoc est genere; non autem, ut Puteanus interpretatur perperam, omnibus qualitibus & facultatibus differunt, in utroq; enim adstrictio est. Hinc ne quis sinistrè hæc uerba nostra interpretaretur, in Paradoxis ea mutauimus, ac in plerisque diuersa esse diximus. Admonendum autem hoc loco esse commodum uisum est, quod per Rhaponticum non intelligamus eam, quam hodie hoc nomine appellant radicem; sed quam ueteres sic nominarunt. Porro cur diuersas esse plantas censeam, non parum me natalium diuersitas mouet: quod Rhaponticum, ut nomen ipsum innuit, in Ponto; Rhabarbarum autem, apud Scenitas Arabas proueniat, adeoq; posterioribus Græcis hac ratione Sceniticum dictum sit. Quod sanè nisi diuersum esse à Pontico ueterum uel intellexissent, nunquam nouo ac antea inaudito nomine appellare uoluissent. Accedit, quod Rhaponticum sit planè *ἄσσυρον*, Rhabarbarum autem uehementer odoratum, Denique Rhaponticum habet Centauro

rio maiori similem radicem, hoc est longam; Rhabarbarum autem, rapæ instar rotundam. Rhaponticum etiam nigram obtinet radicem, Rhabarbarum subcroceam potius habere deprehenditur, ita ut etiam ijs notis persuasus Antonius Musa, uir non ineruditus, in suo Examine herbarum, Rhaponticum ueterum Græcorum prorsus esse rem aliam à Rhabarbaro recentiorum & Arabum constanter asserat. Sed ijs iam posthabitis, ex utriusque magis facultatibus diuersas esse plantas ostendemus. Neque enim certior diuersitatis generis coniectura esse potest, quàm ea quæ ex diuersis facultatibus sumitur. Diuersas autem à Rhapontico facultates habere Rhabarbarum, uel inde ab unde colligere licebit, quod hoc purgandi facultate præditum sit: illud uero, ut ex ueterum monumentis constare potest, nullam purgandi facultatem habeat. Neque enim Galenus, neque Dioscorides illi usquã purgandi uim tribuisse leguntur, quod tamẽ minime fecissent, si uel semel tantum eam uim Rhapontico in esse experti fuissent. Et ut de Dioscoride taceam, Galenus certe, qui non raro Rhapontico, quemadmodum in eius libris uidere licet, usus est, eam facultatẽ haud dubie obseruasset, & inter alias eius facultates, ut in Aloë fecit, commemorasset. Neq; fieri potuit, ut semper quoties Galenus eo usus fuerit, purgandi uis eius impedita aut fracta sit, quapropter uel semel saltem facultas illa Rhabarbari in tam frequenti eius usu sese exeruisset. Verum quum idipsum nunquam factum sit, euidentissimum est, illi nullam fuisse purgandi facultatem. Quum itaque Rhabarbarum purget, Rhaponticum uero minime, quid manifestius, quàm quod hoc ab illo diuersum genere etiam sit? Rhabarbarum autem à tota substantia purgat: ita ut uehementer etiã

Rhaponticum nulla purgandi uis præditum.

Rhabarbarum à tota substantia purgat.



atque etiam erret Puteanus, qui illud ut Agaricum à tota substantia non esse purgatorium medicamentum asserere audet. Esse uero proprie purgatorium, eadem qua supra Aloën à tota substantia esse purgatorium ostendimus ratione, planum faciemus. Quicquid enim animalis excrementa aut per uomitum, aut per defectionem uentris purgat, Galeno lib. 5. Ca. 19. de Simpl. medi. facul. autore, per excellentiam, seu à tota substantia purgatorium est: Rhabarbarum excrementa animalis per uentrem purgat: igitur per excellentiam seu uere purgatorium est. Minor experientia satis clara existit, ita ut tergiuersari Puteanus, quin à tota substantia purgare Rhabarbarum fateatur, non possit. Accedit, quod exhibitum Rhabarbarum semper, nisi ex accidente impediatur, uel ut plurimum saltem purget: quod sanè minime, si non purgaret à tota substantia, euenire posset. Nam quæ qualitatis alicuius manifestæ sensui ratione uentrem subducunt, illa non semper uel ut plurimum per inferna deiciunt, sed interdum potius aluum sistunt. Sic Brassica, ut ait Galenus lib. 3. Simpl. med. ca. 14, horum interim citare aluum, illorum uero sistere cernitur. Rationem autem eius rei idem Galenus eodem in loco hanc affert: Cum, inquit, præter uentrem subducendi uim, adstrictionem etiam recipiat, semper quidem omnibus illis aget, sed euidentius aliàs per aliam, nempe uincem: idè ut ad corporis, cui admotum est, affectionem. Diuersum autem accidit in medicamentis, quæ totius essentia ratione purgant, in ijs enim facultas trahendi nunquam non reliquas facultates, quæ illi à manifestis qualitatibus insunt, nisi ex accidente impediatur, præuenit: ita ut primum sese facultas illa, quæ à tota substantia, deinde uero

uero quæ à qualitatibus insunt, exerant. Sic experientia discimus, Rhabarbarum exhibitum, ut alia etiam eo uehementiora medicamenta, nempe Scamoniã, colocynthida, ueratrum, & similia semper, nisi ex accidente impediatur, purgandi uim exerere primum: ea autem actione sua defuncta, adstrictionem. Hinc est, quòd omnes ferè hodie exercètes medicinã, dysenteria affectis non dilutum, sed potius integram Rhabarbari substantiam sumendam præbeant: non alia siquidem causa, quàm quod primũ humores intestinorum noxios uacuet: & deinceps, ut Mesue ait, adstrictionis uestigia in intestinis relinquat. Quum igitur nunquam non in agendo Rhabarbari purgatoria facultas primũ sese ostendat, hãc uero adstrictio sequatur, euidentissimum est, alteram, puta purgatoriã, nõ à qualitate, sed à tota illi inesse substantia. Præterea, quod dictu mirum est, Mesue (quem tamen Puteanus instar numinis colit & ueneratur, et quem in apertissimis etiam erratis reprehendere non uult, aut ductus religione quadam non audet) manifeste Rhabarbarum purgare à tota substantia innuit, quum bilem & pituitam purgare scribit. Et quid multis moror: quotquot hodie uiuunt medici, Puteano dempto, omnes uno ore fatentur, Rhabarbarum à tota substantia purgare. A quo sanè consensu, Puteano nisi firmioribus rationibus freto, non tam temere recedendum fuit. Sed ad quid non impellit homines perditã illa Philautia? Porro non est, quod Puteanus meo testimonio eandem esse rem Rhabarbarum & Rhabarbarum, planum facere possit. Quod enim utriusque quantitatem, qua exhibentur cõtuli, non ideo factum est, quòd Dioscoridis et Mesue Rhabarbarum unã esse rem, ut perperam Puteanus interpretatur, putauerim:



tauerim: sed ideo potius, ut inde diuersas, esse res ostenderem. Nisi enim diuersae fuissent res, certe una quantitate utrunque exhibendum esse statuissent. Quum itaque alia suum Rhaponticum Dioscorides, alia item Mesues Rhabarbarum quantitate sumendum esse censuerit, uel hinc etiam colligi licebit, diuersas res esse, & inter se differre quàm maximè. Ego certe cum uererer, ne quis locum à Puteano productum aliter quàm à me scriptus esset intelligeret, hunc in Paradoxo immutare uolui: quod tamen ille, ut alia multa, astute dissimulat. Quod autem Mesue pleraque Rhabarbaro tribuat, uerbi gratia terream adstrictionem, aëriam raritatem & acrimoniam, quae à Galeno Rhapontico etiam ascribuntur, abunde nobis constat. uerum inde idem esse Rhaponticum & Rhabarbarum, planum facere haud licebit. Quod enim eadem suo Rhabarbaro qualitates assignat Mesue, errore potius quàm iudicio factū est, falsus enim est haud secus, atque ex posterioribus Graecis Paulus Aegineata: eo quod arbitrati sint idem esse Galeni ac Dioscoridis Rhaponticum, cum eo quod sub hoc nomine suis temporibus (ut hodie) in frequenti medicorum usu fuit. Atque adeo factum est, ut multa, imò fere omnia, quae Dioscorides & Galenus in Rhapontici descriptione commemorant, Rhabarbaro tribuerint. Ridiculum denique est, quod Puteanus arbitratur, nos ideo purgandi facultatem adimere Rhapontico, quia adstringat, quasi uero sic ratiocinaremur: Rhaponticum adstringit, igitur non purgat. Non haec est ratio, cur Rhaponticum purgare negemus: sed ea, quam antea retulimus, quod scilicet nusquam ea ratione usi sint Rhapontico ueteres, neque etiam usquam purgandi facultatem illi tribuisse offendantur. Vbi igitur Rhaponticum

*Quare Mesue Rhabarbaro qualitates Rhapontici tribuerit.*

ticum non purgare, sed potius adstringere diximus, non rationem cur non purgaret, sed potius quam nos in eo facultatem agnosceremus insinuare uoluimus.

Sed instat Puteanus, dicens: Etsi Dioscorides, etiã Galenus, non dicant speciatim posse ventrem subducere Rhaponticum, generatim tamen ex eiusdem facultatibus illud ostendunt. Quomodo, per Apollinẽ precor, Rhaponticum purgare ex suis qualitatibus deprehendemus, quum à tota substantia, & nõ ratione qualitatis purgetur: ut satis superq; supra demonstrauimus. Sic uno absurdo admissio, ut est tritum in scholis Philosophorum uerbum, multa alia subsequi necesse est.

Quare puerile est, quod Puteanus obiicit, Galenum ideo artem noscendarum simplicium medicamentorum scripsisse, quod ipse et Dioscorides singulas tum qualitates, tum facultates non enarrauerint. Galenus quidem omnes simplicium medicamentorum, quorũ apud illum mentio fit, qualitates, quæ gustu deprehenduntur recensuit: neque ullam prætermisit, ut falso putat Puteanus. At non omnes facultates speciatim exposuit, quas enim à manifestis qualitatibus habent, has non raro penitus silentio præterijt: quod sciret illas, methodi artis ue noscendarum medicamentorum facultatum peritos, ex ipsis qualitatibus facile nosse posse. Eas uero facultates, quæ à tota insunt medicamentis substantia, semper nominatim recensuit, ut quæ ex qualitatibus dignosci non possunt. Quapropter, si Rhaponticum facultatem purgandi obtinuisset, illam utpote à qualitate nulla profectam, Galenus nunquam obtinuisse. Quia uero reticuit, manifestum fit, illud purgandi facultatem non habuisse.

Præterea, quia Dioscorides dicit, in Rhapontico ἀρωγικὴν δύναμιν ἔχειν, ut purgatorium nõ sit, necesse

Galenus omnes qualitates simplicium medicamentorum, quorum apud illum mentio fit, commemorauit.



cesse est, aliàs enim purgatoriã facultas, utpote quæ à  
 tota substantiã inesset, hanc superaret. Hæc sunt ratio  
 nes, quæ me mouent, cur Rhaponticum diuersum es-  
 se à Rhabarbaro credam, neque magnificio, quæ Pu-  
 teanus deinceps de Cartusianis Rhaponticum plan-  
 tantibus profert: quandoquidem & in Germaniæ iam  
 plerisque locis ea proueniat herba, atqui ut uerum sit  
 Rhaponticum, aut Rhabarbarum, nondum uideo.  
 Quapropter his alijsq; nonnullis nullius momenti ar-  
 gumētis omissis, Dioscoridem à calumniã potius uin-  
 dicabimus, eumq; in Rhapontici descriptione pugnã  
 tia non referre, ut falso illi adscribit Puteanus, planum  
 faciemus. Neque enim uerum est, quod modo leuem  
 adstrictionem, modo maximam ipsum habere scri-  
 bit: adeoq; si recte uerba eius expendisset, longe di-  
 uersum docere sensisset, nec illi tam temere & impru-  
 denter erroris notam inuississet. Verba enim Dioscori-  
 dis sic habent, *ἔγγλιζόου τε ἢ τὴν πλὴν γέυσιν μετὰ ἀνεμένους*  
*σύνλεως.* Hoc est: Glutinosum gustu cum adstrictione  
 remissa, Remissam autem hic uocat, quæ non est sum-  
 ma, id est sola. Summos enim sapes esse eos, qui soli  
 sunt, nec alios sibi commixtos habent, Galenus abun-  
 de docet, qui lib. 3. Simpl. medi. Ca. 14. de austero sa-  
 pore sic scriptum reliquit: Si solus sit austerus sapor,  
 summus itidem fuerit. At si non summus, sequitur  
 quod neq; solus. Mixturæ siquidem summitates fran-  
 gunt. Remissa itaq; in Rhapōtico est adstrictio: hoc  
 est non sola, sed iunctas sibi alias qualitates obtinet,  
 quæ quidem, ut summa sit, haud permittunt. Nihilom-  
 minus tamen hæc eadem ἀνωτάτη, id est suprema sum-  
 ma ue etiã collatione existit, quod scilicet ad reliquas  
 sibi coniunctas qualitates collata, eas omnes uincat,  
 etenim actiones adstrictionis in Rhapōtico, sunt om-  
 nium

Dioscori-  
 des ab inu-  
 ria uindi-  
 catur.

Summi sa-  
 pores.

nium aliarum qualitatuum actionibus ualentiores, Id  
 quod Galenus etiam aperte innuit, dum *σύνθεσις ἐπὶ τῆς*  
*ἰσχυρίας* esse in Rhapontico scribit. Et mirum certe est,  
 cur maximam dicere uoluerit Puteanus, quum tamē  
 nullus interpretum Dioscoridis ita conuerterit: sed u-  
 nus summam, alter uero præcipuam dictionem *ἀνωτέ-  
 ρην* interpretatus sit. Resipisceret igitur, & illam non  
 dicendam arrogantiam animo suo expueret optarē,  
 ita enim fieret, ne tam facile omnium doctorum uiro-  
 rum consensu probatissimis autoribus contradiceret.  
 Non mirum certe, unum aliquem (ut humanū est erra-  
 re) in prolixo opere inter se pugnātia scribere: hoc au-  
 tem cæcitatē aut negligentia summæ argumentum  
 est, in uno eodemq; breui capite sibi ex diametro pu-  
 gnantia referre, id quod de Dioscoride dicere audet,  
 non tamen sine maxima temeritatis suspitione, Putea-  
 nus: ut qui forte non alia uia, quàm laceffendis fugil-  
 landisq; optimorū doctissimorumq; uirorum monu-  
 mētis, existimation acē laudem aliquā aucupari uolue-  
 rit. Atqui caueat hortor, ne prosperata gloria Zoili si-  
 bi præconia contingant. Caterum satis præpostere  
 contra nos Galeni locum ex lib. 4. Simpl. medi. Ca.  
 22. producit Puteanus. Nam eo loci, ex odore & colo-  
 re de medicamentorum temperatura & facultatibus  
 non posse iudicare medicum, Galenus docet: id quod  
 nos etiam fatemur, neq; enim sequitur, Calx alba est,  
 igitur frigida. Non prohibet autem, quin quispiam  
 ex colore & odore, ut ex reliquis etiam accidentibus,  
 de medicamento essentia, sit scilicet aut non sit tale, de  
 quo questio est, pronunciare possit. Nam nisi hæc duo  
 ad cognoscendas ipsas plantas conducerēt, temere to-  
 ties in describendis ijs Dioscorides illorum mentionē  
 fecisset. Quapropter non contendimus, ex odoris di-

Odor ad me-  
 dicamēti co-  
 gnitionem,  
 quale scili-  
 cet sit, con-  
 ducit.



uerſitate, medicamentorum facultates uariari: ſed id  
 potius dicimus, herbam quæ natura odorata eſt, per-  
 petuo debere eſſe odoratam: maxime ſi in eo loco, in  
 quo ſemper odore prædita eſſe deprehenſa eſt, natam  
 eſſe compertum ſit. Recte itaque ſic quiſpiam collig-  
 get: Omnes roſæ in Germania natæ ſunt odoratæ: hic  
 flos roſæ ſpeciem habens non eſt odoratus: igitur non  
 eſt roſa. Sed de odore non anxie diſputabimus,  
 ut qui multo firmioribus argumentis Rhaponticum  
 non eſſe Rhabarbarum antea oſtenderimus. De Eu-  
 patorio herba nequeo ſatis mirari, cur Puteanus di-  
 cat illam non habere hanc amaritudinem & acrimo-  
 niam, quæ illi ab antiquis adſcribitur, aut ſaltem quæ  
 ſatis eſſe poſſit facultatibus ei attributis. Doceat quæ-  
 ſo, quam illi amaritudinem aut acrimoniam ueteres  
 aſcripſerint: Dioſcorides certe nullam tribuit, neque  
 Galenus, qui illum ſecutus eſt, & qui perperam ab il-  
 lo ſcripta correxit, Eupatorio ullam acrimoniam aſcri-  
 bit: ſed incidendi extergendique facultatem, citra mani-  
 feſtam caliditatē, cū quadā adſtrictione habere tradit.  
 Si itaque nullam in ſe manifefſtam caliditatem obtinet  
 Eupatorium, ut uehementer amarum ſit, tantum ab-  
 eſt, ut acrimoniā habeat, fieri haud poteſt. Sunt enim  
 omnia amara, Galeno lib. 4. Ca. 8. Simpl. med. teſte,  
 immodicē calida: acria uero, ſummē calida, ut idem  
 Galenus eodē in libro, Ca. 17. manifefſte docet. Quid  
 itaque ut hæc ſcriberet, Puteanum mouerit, aut impu-  
 lerit, diuinare non poſſum: niſi ſibi pulchrum uidea-  
 tur, ita paſſim citra omnem rationem à ueteribus, iſſeque  
 probatiſſimis diſſentire, atque nuſquam non Theſſa-  
 liſen. Si enim uerum Eupatorium, quod hodie officina  
 Agrimoniam Barbaro nomine uocant, guſtes: cer-  
 te ſingulas, quas illi tribuit Galenus & Dioſcorides  
 qualitates

*Eupatoriū  
 nō habet ue-  
 hementē a-  
 maritudinē,  
 tantum ab  
 eſt, ut acre  
 eſſe poſſit.*

*Eupatoriū  
 uerum eſt,  
 Agrimoniam  
 hodie dicta  
 herba.*

qualitates inesse manifestissime deprehendes. Quare superbe, ut solet, hoc in loco ueteribus omnibus, atq; adeò ipsissimæ ueritati obstrepit Puteanus; & in Eupatorio requirit, quod illi nemo unquam uel ueterum uel recentiorum Græcorum tribuit. Et posset hic pro meritis suis à nobis tractari Puteanus, ut qui audet temere asseuerare, quod nusquam apud ueteres scriptū extat, sed pactis stabimus, & affectibus nostris haud indulgebimus. De Lupulo, & Berberis, Barbaris uocatis alio loco, Deo annuente dicemus, ubi non facultates tantum herbarum exponemus; imò uiuas etiam earundem imagines atque picturas dabimus.

Vehementer autem miror, quur Puteanus usque eò dementiae progressus sit, ut contra manifestam experientiam, communemq; omnium hodie medicorum consensum, fructum Berberis uocatum Barbaris, ad diarrhoeam sistendam inutilem esse asserere ausus sit. Primum enim Dioscoridis & Galeni autoritas illum terrere debuissent, quorum uterque diarrhoeam, imò omnes fluxionum affectus Oxyacanthi fructum (sic enim Berberim nominant) sistere manifeste tradit.

*Oxyacanthi fructus, qui Berberis Barbaris uocatur, ad diarrhoeam sistendam utilis.*

Sed uideamus, quàm prorsus puerilibus rationibus sententiam suam firmare conetur. Primum, inquit, fructus prædictus acidam qualitatem incensam habet; adstrictionem uero uel minimam, uel nullam, propterea intestinorum defectiōni immoderate non parum officit. In quibus sanè uerbis primum errat, quod Berberim unam duntaxat qualitatem habere putat, acidam scilicet. id enim ipsum per intensam qualitatem acidam innuere, ex uerbis sequentibus colligere licebit, ubi differre inter se acidum & acetosum saporē contra Galeni sententiam dicit. Is enim in lib. 4. Simpl. med. Ca. 6. dicitur uno nomine omnia, quæ

*Acidus et acetosus sapor non differunt.*



acida sunt uocat, sed discernit ea per adiectionem: illa nempe ἀπλῶς ὀξεῖα, aut μόνου ὀξεῖα: hæc uero quæ mixtas sibi alias qualitates habent, non simpliciter, uel nõ exacte, uel non tantum acida appellat, ut in alijs etiam facit saporibus. Intensum itaque acidum uocat Puteanus, quod Galenus simpliciter acidũ nominat. Non esse autem fructum hunc exquisitè acidum, Galenus lib. 8. Simpl. med. satis docet, qui τρυκτηκὸν ὀλίγομᾶχσιμ scribit. Si enim exacte acidus erit, frigidus quoque sit oportet. Galeno enim lib. 4. Ca. 6. Simpl. teste, acida omnia frigida sunt. Frigidus itaque cum sit, nec ullas caloris in se portiones habeat, ut omni incidendi facultate destitutus sit, necesse erit. Deinde errat, quod nullam adstringendi facultatem Berberim fructum habere scribit: cum experientia ipsa abunde mōstret, quandoquidem acerbiter etiam nonnullam in gustu præ se ferat, adstrictionem aliquam in se habere. Quod etiam Galenus lib. 8. Simpl. confirmat, qui fructum hunc facultatibus pira syluestri similem esse tradit. Pira autem syluestria, ut idem lib. 5. Simpl. med. docet, magis quàm reliqua pira adstringunt & desiccant: & proinde sanè maiora uulnera glutinant, fluxusq; auertunt. Tertio errat, quod tantam incidendi facultatem obtinere hunc fructum arbitratur, ut etiam mordicationem (sicut alia amara) non instrenuam efficere, atq; adeò ob eandem mordicationem intestina iam denudata à fluxu, & prius abrasa, ad maiorem excretionem incitare possit. Nam (ut antea ex Galeno ostensum est) exiguam duntaxat incidendi uim habet, tantum abest ut mordicationem efficere queat. Neque etiam omnia amara strenue mordicant, ut profecto infantiliter garrit Puteanus, nam sunt multa amara, uehementer etiam, quæ mordicationis pla-

Berberis  
quia acer-  
bus, ideo ad  
stringit.

Non omnia  
amara mor-  
dicant.

nē expertia sunt, ut supra de aloë abunde monstra-  
 tum est. Quare cum fructus hic non sit amarus, neque  
 uehementer incidat, sed potius adstringat atque infri-  
 gidet, optimum non solum diarrhoeæ, uerum etiam re-  
 liquarum fluxionum omnium, ueterum & recentio-  
 rum medicorum consensu, remedium erit. Quod  
 autem solius oxymelitis usus intestina abrasat, non  
 est quod miretur Puteanus, hoc enim non tantum a-  
 cidum, sed acre etiam existit: idēq; non acetū tantum,  
 imò etiam mellis ratione. Quare ridiculum admo-  
 dum est, quod de qualitatibus medicamentorum tam  
 pueriliter differat Puteanus: qui tamen parturit ne-  
 scio quos, in hunc Galenī librum commentarios.  
 Hactenus ab instituto nostro sumus digressi, Putea-  
 no ita urgente: qui eiusmodi multa, nihil ad presen-  
 tem nostram de aloë disputationem attinentia, pro-  
 duxit. Quorum quia nonnulla ad nos potissimū spe-  
 ctare uidebantur, idēo defunctoriē obiterq; illa dilue-  
 re non absurdum esse duximus. Ad institutum ita-  
 que reuersus tandem Puteanus, duplicem esse simpli-  
 cium medicamentorum peritiam asserit. Vnam de  
 eorum facultatibus, alteram uero de eorundem com-  
 positione, preparatione uel: quā nisi quis, ut idem ait,  
 probe calleat, non est cur Galenum de Simplicū me-  
 dicamentorū facultatibus differentem intelligere pos-  
 sit. Fateor quidem utranq; cognitu esse necessariam;  
 quemadmodum etiam Galenus lib. 3. The. meth. do-  
 cet: at non ad Simplicium medicamentorum fa-  
 cultates recte dignoscendas, nam ad eas cognoscen-  
 das altera duntaxat necessaria est: ea siquidem, quæ  
 de singulis qualitatibus, quæ medicamentis simpli-  
 cibus insunt, inquit, atque ex ijs subinde eo-  
 rundem



*Præparatio  
& cõpositio  
nullum  
usum ad no-  
scendas sim-  
plicium medi-  
camentorũ  
facultates  
præbent.*

rundem facultates colligit. Altera uero, quæ de eorundem compositione agit, ad natiuas facultates noscendas nihil prorsus conducit, imò potius obest.

Quippe, ut Galenus ait, lib. 2. Simpl. Ca. 9, experiri solum oportet ea, quæ impermissa sunt, & ab omni extranea qualitate aliena. Verbi gratia: si de Chalcitidis facultatibus recte iudicandum erit, talis sit necesse est Chalcitis, qualis natura est: hoc est impermissa, & à præparatione omni aliena. Constat autem hanc, ut eius qualitates indicant, adstrictionem & acrimoniã obtinere. Quod si uero præparatio accesserit, nempe lotura, acrimoniã certe minorem habebit, aut prorsus amittet. Sic interdum alia medicamenta, quæ illi admiscuntur, natiuas eius facultates uel frangent, uel penitus obscurabunt. Nullum itaque usum cum præparatio, tum cõpositio in discernendis natiuis medicamentorum simplicium facultatibus præbent, atq; adeò errat Puteanus, qui utranque ad earundem cognitionem necessariam esse dicere audet. Præparatio quidem, & cõpositio ad commodum medicamentorum usum conducunt: atque adeò priorem, quæ facultates medicamentorum discernit, ordine sequi solent, ut nemo non, nisi mente planè captus sit, intelligit.

*Præparatio  
& cõpositio  
ad quid  
conducant.*

Minime igitur opus erat, ut Galenũ tot uerbis à contradictione uindicaret Puteanus: quum nemo sit qui nesciat, medicamentum simplex sincerum uel aliud posse in corpore humano efficere, quàm si alijs permistum fuerit & cõpositum, certa quæ ratione præparatum. Neque etiam Galenus, lib. 3. The. metho. Ca. 5. Chalcitin *ἰπυλωτικὴν* uim, sed ualenter siccandi habere tradit. Et mox subiicit: Quod si etiam la-  
uabis, utique minus mordens medicamentum habebis. Atqui cur præparationis in præsentia mentionem fecerit,

fecerit, nulla alia ratio est, quam quod putat se hoc pacto inuenisse uiam, qua Galeni locum ex 5. The- meth. libro productum, pro suo arbitratu interpreta- ri possit. Nunquam autem euincet, Galenum eo loci de aloë lota loquutum esse. Neque enim ratio eius ua- let, quæ sic habet: Si nõ lotam exhibuisset, tum ea ama- ritudinis ratione uenas expurgando & extergendo, maiorem sanguinis fluxum concitasset. Satis enim su- præ monstratum est, quæ sint amaritudinis facultates, & quæ amari, & quod nulla prorsus in aloë sit acrimo- nia, quæ quidem ad profluvia sanguinis irritanda ne- cessaria existit. Quare non inficiamur, quin aloë pro- pter uarietatem præparationis facultates suas natiuas remittat, aut prorsus perdat: sed hoc haud cõcedimus, Galenum hoc in loco de lota aloë locutum fuisse. Ne- que enim ille tam confusa ratione de rebus differe- re solet, ut non passim indicet, ubi de synceris natiuis- ue, & ubi de præparatis loquatur. Hinc est quod pas- sim lotam dictionem adficiat, ubi de præparata aloë uerba facit, ut patet omnibus Galeni scripta diligẽter perlustrantibus. Eodem errore conatur ostendere Puteanus, Galenum lib. 6. Simpl. medi. scribentem, aloën gratam esse stomacho, de lota loquutum esse. Nam quo pacto, inquit, non lota quæ amara est, gra- ta stomacho esset: quum manifestissimum sit, amara omnia infesta esse stomacho? Atqui non animaduer- tit, hic Galenum de syncera seu natiuua aloë loqui: ubi tamen ex professo, quæ sint eius natiuæ facultates ex- ponit luculentissime. Quomodo enim de lota hoc in loco aloë ageret Galenus, cum tamen hic misturam eius & naturam explicet, dicens hanc non esse simpli- cem, sed adstringentem & amaram: & deinceps illius etiam misturæ particularia opera ordine recenset. Ga-  
 h lenum

*Aloë præpa-  
 rationis ra-  
 tione nati-  
 uam facul-  
 tem aut re-  
 mittit, aut  
 perdit.*

*An aloë gra-  
 ta sit stoma-  
 cho.*



lenum uero non loquutum esse de aloë lota, præter ea quæ iam diximus, uerba etiam ipsa Galeni quæ produxit Puteanus, aperte docent, quæ sic habent: καὶ γὰρ ἐν σόμαχόν ἐστι τὸ φάρμακον, εἰπὼς τι καὶ ἄλλο. Quod est:

» Nam & gratum stomacho medicamentum est, ut si quod aliud. Ex quibus sanè uerbis liquido constat, Galenum de aloë loqui, ut est medicamentum purgans, ut sit planè is sensus: Inter omnia medicamenta purgantia, sola aloë grata est stomacho. Hunc autem esse uerborum sensum, ex dictione quam usurpat Galenus satis constat. φάρμακον enim hoc in loco non promiscue quoduis, sed purgans duntaxat medicamentum significat. In qua significatione non raro etiam usus est Hippocrates, potissimum autem lib. 4. Aph. 19. ubi ait, οἵοσοι γὰρ τῶσι φαρμακοποισίησι μὴ διψῶσι καθαρόμενοι ἢ πονοῦνται, πρὶν ἢ διψήσωσιν. In qua dictione euidentissimum est, φαρμακοποισίας Hippocratem nō cuiusuis medicamenti potiones, sed purgantis duntaxat dixisse. Quinetiam Galenus in explicatione eius sententiæ, φάρμακον sæpissime pro purgante medicamento accepit. Idem etiam Hippo. eodem in loco, Aph. 21. ubi inquit, εὐὲ φαρμάκῳ δὲ ἀμεινον, pro medicamento purgatorio usus est. Sic etiam φαρμακείων, hoc est medicari, ut testatur Galenus lib. 4. commen. 1. pro eo quod est medicamento purganti uti, Hippocrates usurpare passim consueuit. Et ne multis morer, de aloë in præsentia, ut medicamēto purgatorio, locutum esse Galenum, abunde liquet ex Aëtio, & Paulo, hæc Galeni uerba explanantibus. Aëtius enim lib. 3. Ca. 25. sic de aloë scribit: Omnia purgantia medicamenta, præter aloën, infesta sunt stomacho. Et Paulus lib. 7. Ca. 4. Quum omnia, inquit, purgantia medicamēta stomacho aduersentur, sola aloë conducit. Orisba

sius

sius etiam in Compendio, in eum scribit modum: Aloë uehemens quidem medicamentum, purgans non est, stomacho autem aptissimum. Si igitur de aloë ut medicamento purgante Galenus locutus est, ut iam planè demonstrauimus, quomodo de lora loqui potest, quæ planè parum, aut prorsus nihil, Puteano etiam non repugnante, purgat? Sic prorsus non assequitur Galeni scripta Puteanus, ut mirari satis non possim, quid illum impellat, ut commentarijs eundè illustrare cogitet. Quare cum ueteres aloën stomacho gratam esse scribunt, de aloë non simpliciter, sed ut est medicamentum purgans loquuntur. Simpliciter enim loquendo, aloë neque utilis, neque noxia stomacho dici potest. Stomachum autem hic intelligimus intemperatum, nam temperatum, seu *ὕκρᾶτον*, ut omnia alia quibus medicamentosa uis, ut aloë inest, lædere manifestius est, quàm ut dici debeat. Neque is etiam robore alterius indiget, cum suapte natura satis roboris habeat. Atque hinc adeò non erat opus, Puteanum toties nobis occinere, aloën *ὕκρᾶτον* stomacho infestam esse, quandoquidem puerum etiam illud uix latere ualeat. Non posse autem aloën uentriculo intemperato simpliciter neque utilem neque noxiam dici, hinc colligi potest, quia uentriculo, qui ex intèperie, quæ in qualitate tantùm cõsistit, affligitur, nocere solet, cum enim omnes hæ intemperies citra humorè in uentriculo cõsistant, nõ potest aloë, utpote purgadi uis, ut ostensum est, prædita, illis conferre. Vni tamen, quàm alteri, uehementius nocet. Hinc est, quod Galenus lib. 8. de Compo. med. secundum locos, Ca. 2. in hunc modum scribit: Infestissima est aloë, etiam lora, his qui citra praeuos humores calida & sicca intemperie afficiuntur, proximum ab his noxam percipiunt, qui sicca intem-

Quo sensu  
 ueteres a-  
 loën stoma-  
 cho gratã  
 dixerint.



22 perie cum frigiditate affliguntur, & in uniuersum, qui  
 22 ex sola qualitate particulam aliquam affectam habet,  
 22 Etenim in humoribus intemperies, medicamentis il-  
 22 los uacuantibus indigent. Quæ uero sine his confi-  
 22 stunt, penitus in tabem perueniunt, ob medicamen-  
 22 tum ex aloë. Hæc Galenus. Sic aloë omni uentricu-  
 lo laboranti ex intemperie cum humoribus, utilis dici  
 potest: quod scilicet humores, qui intemperiem pro-  
 creant, ex uentriculo educere queat: ut fusè loco iam  
 citato, & lib. 8. The. meth. docet Galenus. Quapro-  
 pter aloë, simpliciter loquendo, neque noxia neque uti-  
 lis esse stomacho dici potest: quod uidelicet illi pro-  
 huic uero noceat. Quum itaque Græci stomacho gra-  
 tam esse scribunt, de ea ut medicamento purgante lo-  
 quuntur, qua certe ratione semper stomachum robo-  
 rare recte dicitur. Aloë enim ut medicamentum pur-  
 gans, non datur nisi uentriculo affecto ex intemperie  
 cum humoribus, quem quidem euacuatis iam mole-  
 stantibus illum humoribus, nunquam non adstrictio-  
 ne sua roborat. Atque hinc est, quod alibi, & in Pa-  
 radoxis nostris, Mesuen, qui aloë ut purgans medi-  
 camentum stomacho nocere scribit, reprehenderim:  
 cum hac ratione, ut iam demonstrauius, potius illi  
 robur addat. Mesuen autem hoc in loco, ubi aloë no-  
 cere stomacho scribit, de ea ut purgatorio medicamen-  
 to loqui, uerba eius euidentissime monstrant, quæ sic  
 22 habent: Aloë est aliarum medicinarum rectificatrix  
 22 bona. Et paulo post oblitus eorum, quæ antea scripse-  
 22 rat, inter cætera sic inquit: Aloë declinat à proprietati-  
 22 bus bonis, est enim conturbatua, faciens uentris dolo-  
 22 rem, & nocet stomacho & hepatis, & soluendo impri-  
 22 mit laborem in stomacho & uisceribus, & aliquando  
 22 uirtus eius remanet in eis, & facit in solutione exire  
 sanguinem.

fanguinem. Hæc Mesue. Quis uero, nisi talpa cæcior sit, non uidet, illum de aloë ut medicamento purgante loqui: nam omnes noxas quas illi non sine detestando mendacio tribuit, solutionis ratione inesse manifeste innuit. Et quo pacto uerum esse posset, aloën nocere stomacho, cum reliqua etiam omnia quæ in iam citatis uerbis docet, Mesue ipsissima esse mendacia constet: Neque enim conturbatiua esse potest, quando illius etiam testimonio aloë aliorum medicamentorum maliciam corrigat: & minime noceat, & ut illius uerbis utar, ad confortationem debiliū membrorū addere uideatur. Si itaq; non nocet, & uirtutes partium corporis robustiores reddit, quomodo ingrata sit stomacho non uideo. Quod uero non possit turbare, aliaq; à Mesue commemorata efficere, ex ijs quæ supra diximus, cum quale esset medicamentum purgatoriū demonstrarem, abunde constare potest. Non enim fortem purgandi uim habere aloën, nec eam supra uētris & intestinorum loca ascendere: aut si ultra, uasa tantum in mesenterio contingere diximus. Id quod præter ea quæ produximus, Galenus etiam lib. 8. de Compo. med. secundum locos, Ca. 2. ijs uerbis testatum reliquit: Euacuatio igitur affligentis humoris per solam aloën contingit, quæ purgatoriam uim non fortem habet, sed ut ea quæ circa uentrem sunt, quæ etiam tangit, purgare possit. Et si aliquando ampliori pondere exhibeatur, usque ad loca circa iecur conscendit. Non tamen totius corporis purgatoria existit aloë. Quæ utique uerba Galeni si uera sunt, ut certe uerissima sunt, quis nō omnia, quæ refert Mesue de aloë, esse mera somnia, imō detestanda mendacia uidet? Qui enim fieri posset, ut soluendo imprimeret laborem in stomacho, cum fortem purgandi uim non obtineat?



Quī iecinori noceret, cum facultas eius ad illud non perueniat: Quo pacto denique sanguinem purgatione sua nimia educeret, cum nō purget totum corpus, imō uis eius raro ultra uentriculum se efferat: Hæc si paulo altius expendisset Puteanus, me per calumniā reprehendere Mesuen, illum (si dijs placet) medicorū Euangelistam, cum uix edituri nomen mereatur, haud dixisset: tantum abfuiisset, nisi studio ac dedita opera, id quod penē conijcio, malus esse uoluisset, ut eius patrociniū suscipere illi placuisset. Quare cum ratione & ueterum testimonijs aloēn, ut medicamentum purgans, stomacho non nocere, cōtra Mesuen docuerim: præter omnem candorem, & non sine summa malicię suspicionē, Puteanus nugas nihil ad rem facientes, ea quæ produximus ex probatissimis autoribus testimonia appellauit. Cæterum non uideo, quid etiam sit incommodū, si quispiam simpliciter aloēn stomacho gratam esse dixerit. Quum enim perpetuo habeat in se adstringendi facultatem, non potest non hoc nomine stomacho esse grata. Neque enim alicuius ponderis est, quod obtrudit Puteanus, dicēs: Aloē amara est, igitur stomacho nocet. Sequelam Galeni autoritate probat, qui lib. 6. Simpl. amara omnia infensa esse stomacho tradit. Nam ignorat, duplicia esse Galeno et alijs medicis amara, quædam enim exacte amara dicuntur, quæ nulla sensu notabili alia qualitate participāt. Hæc certe, ut testatur Galenus lib. 4. Simpl. med. Ca. 19. omnibus propè animātibus, nedum hominibus, esui inepta sunt, atque adeo uētriculo etiam supra modum infesta. Quædam non exacte amara sunt, sed præter amaritudinem alias etiam qualitates obtinent: adstringentem scilicet, aut aliam quandam, ueluti aloē, et absinthium.

Duplicia amara.

Non omnia amara stomacho ingrata.

absinthium. Hæc sanè ut priora, infensa stomacho nō sunt. Hinc est quod Galenus lib. 6, Simpli. Ca. de Abrotono, gratum & amicum stomacho Absinthiū esse scribit. Qua itaque ratione Absinthium, quod amarum est, à Galeno simpliciter stomacho gratum dicitur, eadem etiā ratione aloë eidem amica dici potest. Quo autem sensu dixerit, verba eius manifeste declarant, quæ sic habent: Suprà ostensum est, quod amarum ipsum per se omnifariam infensum sit stomacho; austerum vero, aut acerbum, aut in summa adstringens, stomacho amicum. Hoc est: Amarum, quatenus amarum, stomacho infensum est; quatenus vero adstringens, gratum. Sed instat Puteanus: Aloës amaritudo uincit eius adstrictionem, igitur simpliciter stomacho inimica est. Sequelam certe hanc non agnoscimus, neq; enim in hunc modum ratiocinari Galenus eum docuit. Nam tamen, loco paulo ante citato, sic scribat; ubi qualitates hæc duæ, nempe amaritudo et adstrictio, inuicem permixtæ sunt, quæ uehementior fuerit, ea utique uicerit: non tamen ob id uicte prorsus nullam esse facultatem docet. Sic nos quidem fatemur, amaritudinem in aloë uincere adstrictionem, at nihilominus eandem adstrictionis ratione uentriculo gratam esse dicimus. Atque hinc est quod Galenus in libro, qui inscribitur, quod animi mores corporis temperaturam sequatur, substantiæ aloës facultates omnes ex functionibus eius colligens, adstrictionem minime, ut inefficacē prætermiserit. Sed præstat uerba illius subiicere. οἷον τῶν ἀλόγων καθαρτικῶν τε δυνάμιμι ἔχειν, ἔν τῶν ὀνωπιῶν σομάχῳ, ἢ τῶν τραυμάτων ἐναίμων καλλητικῶν, ἰσοπέδων ἐλεῶν ἐπὶ σπλωτικῶν, ὑγρότητος βλεφάρων ξηραντικῶν, οὐδ' ἄρα τῶν εἰρημένων ἐργῶν ἑκάστου ἄλλου πινός ποιοῦντος

παρὰ



παρὰ τῆν ἀλόην . αὐτὴ γάρ ὄνη ἢ ταῦτα δρᾶσα , καὶ διὰ τὸ  
 δλωαδνα ποιῆν αὐτὰ , ποσάντας ἐλέχθη δ' ἀνάμειξ' ἔχειν , ὅσα τὰ  
 ἔργα . λέγομεν γοῦν τῆν ἀλόην καθαίρειν δλωαδί , ἢ ῥωννῶαι  
 σόμαχορ , καὶ πολλῶν βράματα , ἢ ἔλκη σιωλοῦ , καὶ ὀφθαλ-  
 μὸς ὑγρὸς ξηραίνειν . Id est : Verbi gratia , aloë uim pur-  
 » gandi , & roborandi stomachum , & uulnera cruenta  
 » glutinandi , & cicatricem inducendi planis ulceribus ,  
 » ac palpebrarum humiditates exiccandi obtinet : dum  
 » nullum profus sit præter aloën , quod singula modo  
 » relata opera faciat . Ipsa enim est , quæ illa efficit , ac  
 » quia potest ea efficere , ideo tot habere facultates , quot  
 » opera , dicta est . Asserimus itaque , aloën posse purga-  
 » re & roborare stomachum , uulnera glutinare , cicatri-  
 » cem ulceribus obducere , & oculos humidos exicca-  
 » re . Quibus utique uerbis Galenus , aperte & simpli-  
 » citer , aloë roborandi stomachum facultatem inesse ,  
 » idq; adstrictionis ratione , tradit : neque illam propter  
 » uincētem amaritudinem inefficacem esse asserit . Qua  
 » re hinc adeò abūde liquet , quæ exacte amara sunt , hæc  
 » stomacho ingrata profus fore . Quæ uero nō exacte a-  
 » mara sunt , sed adstrictoriam coniunctam amaritudi-  
 » ni qualitatem habent , ut absinthium & aloë , ea grata  
 » dici stomacho nihil prohibet . Hæc ab inuicem discer-  
 » nere Puteanum amara oportuit , dum tot uerbis inuti-  
 » liter & confuse amara esse ingrata stomacho docet .  
 » Neque enim de omnibus amaris , sed de ijs quæ exa-  
 » cte amara sunt , eò loci Galenum loqui euidentissimū  
 » est . Et mirum certe , Puteanum mox ab ista sua senten-  
 » tia recedere , et palàm dicere , amaritudinem aloës non  
 » impedire , cur minus roborare possit uentriculū : imò  
 » magis prodesse , quod scilicet adstrictoriam facultatē  
 » non solum ad superficiales , sed etiam internas partes  
 » uentriculi

uentriculū ducat, Hæc ratione mouetur, ut non ue-  
 reatur contra Galenum, atque ad eò experientiam ip-  
 sam asseuerare, aloẽ non lotam amaritudinis suæ be-  
 neficio plus uentrem, quàm lotam roborare. Quod si  
 hoc primum, quod in præsentia, confessus fuisset Pu-  
 teanus, potuisset me magna leuare molestia. neque  
 enim opus erat tot temere ab amaritudine ducta dilue-  
 re argumenta. Nam si aloẽs amaritudo non impedit,  
 ob eam quam producit causam, quo minus roborare  
 queat uentriculum: eadem sanè ratione non prohibe-  
 bit, quo minus uulnera glutinare, et reclusa uasa occlu-  
 dere possit. Luce itaque clarius est, una ista confessio-  
 ne Puteani, omnia ea quæ suprà constāter, ne dicam  
 imprudenter, asseuerare ausus est, corruere. Minime  
 uero probandum, quod Puteanus asserit, Aloẽ lo-  
 tam minus quàm non lotam stomachum roborare:  
 quum planè contrarium doceat multis in locis Gale-  
 nus, potissimum autem lib. 7. The. meth. ca. 11, ubi sic  
 scriptum reliquit: Aloẽ non elota ualentius euacuat,  
 elota uacuat quidem minus, sed roborat uentrem ma-  
 gis. Neque etiā concedendum est, ut aloẽs amari-  
 tudo eius adstrictioni uiam efficiat, atque eandem per  
 totam uentriculū substantiam deducat. Nam ut Gale-  
 nus lib. 4. Simpl. med. Ca. 18. & 20. docet, amarorum  
 neque aëria est, neque tenuis, neque aquea consisten-  
 tia: sed terrena, exacte à calore elaborata, ac uelut su-  
 perassata ipsorum est essentia. Vt hoc nomine euiden-  
 tissimum sit, illa, utpote quæ crassa & terrena sint, reli-  
 qua ad profunda deducere non posse. Quapropter cū  
 aloẽs amaritudo minime sit tenuis, sed terrena, fieri  
 haud potest, ut adstrictionem per totā uentriculū sub-  
 stantiam perreptare efficiat. Et quid opus est, ut adstri-  
 ctio aloẽs elotæ in uentriculū partes deducatur: cum

*Aloẽ lota  
magis quàm  
non lota ro-  
borat.*

cc

cc

*Amaritudo  
aloẽs adstri-  
ctioni uiam  
non parat.*

cc

cc

cc

cc



deuorata mox ad eas omnes, internas maxime, perueniat, ac undequaque illas contingat. Proinde firma adhuc manet Galeni sententia, quod aloë lota ratione folius adstrictionis, quæ per loturam non aufertur, plus quam non elota, cui haud modica portio amaritudinis & purgatoriae facultatis inest, uentriculum roborat. Sed obtrudit hic nobis Rhaponticū Puteanus, cuius etiam adstrictio per aliam substantiam in altum perducitur, Sed cogitet hanc substantiam, quæ id ipsum efficit, ut ait Galenus, & metipse fatetur Puteanus, esse aëriam: & tenuem: qualis certe nō est eorum, quæ amara sunt, ut iam ex Galeno monstrauimus. Quare ea solum adstringentia, ut etiam testatur Galenus lib. 3. Simpl. med. Ca. 16, quæ plurimum in se continent essentiae cum tenuis, tū tepidæ, altius penetrare possunt. Posthac iniquus est Paulo Aeginetæ Puteanus, eumque per calumniam notat, ac immerito erroris insimulat: quasi scilicet aloën hoc nomine gratam esse stomacho dixisset, quod digereret, abstergeret, ac stercore educeret, cum hoc ne per somnium quidem Paulo in mentem uenerit. Hunc enim constat Galeni uerba, ut ferè semper, sic hoc loco quoque transcripisse, qui lib. 6, tradit, aloën gratam stomacho esse, & abstergere paululum, digerereque, & stercore excernere posse. Ita ut euidentissimum sit, Puteanum suo more eius uerba, mala fide citasse, quæ apud Paulum sic leguntur: Aloë grata est stomacho, digerit, & stercore excernit. Quibus nimirum uerbis Galenum, ut diximus, imitatus, breuiter summas, quæ in aloë sunt facultates, adstrictionem scilicet, abstergendi, discutienti, & stercore excernendi uim, complexus est. Nec aliter, quod sciam, ullus interpretum locum hunc reddidit, quia non causam, cur grata esset stomacho aloë in absterfionem,

*Que amara altius penetrare possunt.*

*Paulus Aegineta ab iniuria defenditur.*

absterfionem, digestionē, et stercoreis excretionē Paulus, ut falsò putat Puteanus, reijcere uoluit: sed duntaxat indicare, hanc non tantum esse gratam stomacho, uerum etiam abstergere, digerere, & stercorea excernere posse. Neque uerum est, quod adiecit Puteanus, Paulum in plerisque locis peruertere Galenū: cum constet illum diligenter omnia ferè ad uerbum ex Galeno transcripsisse, & nisi suprà modum deprauatum esset exemplar, multa ex illo haud secus quàm Aëtio Galeni loca restitui posse, manifestius est quàm ut à me multis monstrari debeat. Atqui impendio placeat Puteano, bonos autores deijcere, pessimos autem contrà ad astra usque euehere. Præterea huic tractationi colophonem imponens Puteanus, sic ait: Propterea Ioannes Mesue bene dicit, aloë simpliciter esse uentriculo noxiam. His autem uerbis quid absurdius, quid incogitantius dici potuisset non uideo. Neque enim noxia uentriculo intemperie ex humoribus, potissimū biliosis, affecto est, ut suprà Galeni testimonio euicimus. Et certe ipsemet Puteanus fatetur, aloë uentriculo nimia humiditate relaxato, gratam & amicam esse. Quod si uerum est, qua impudentia asseuerare audeat, Mesue recte dicere, aloë esse simpliciter noxiam uentriculo? Et si aloë est medicamentum, id quod multis rationibus ostendere conatur temere Puteanus, cū nemo sit qui id ipsum nesciat, aut neget, (est enim non simpliciter medicamentum, sed medicamentum purgans) erit certe hoc nomine sano & temperato uentriculo noxia. Cum uero relaxato, Puteano etiam teste, uentriculo utilis sit aloë, non recte dicere potuit Mesue, aloë simpliciter stomacho noxiam esse, sed adijciendum erat sano. Iam itaque nemo non uidet, quibus machinis Mesuë suum tueri nitatur Puteanus,

"

"

*Aloë non est  
uentriculo  
simpliciter  
noxia.*



reanus, nullius sanè momenti, et ficulneis: quibus etiã puer, qui uel primis labris medica gustasset, resistere posset. Multo igitur consultius est, cū Galeno ceterisq; Græcis dicere, aloën ut medicamentum purgās, esse amicam stomacho, hac enim lege & temperatus, & intemperie citra humores affectus uētriculus mox excluditur, utpote quibus medicamentum purgans minime gratum esse possit. Caterum non posse recte sic colligi: Aloë prouocat menses, igitur aperit ora uenarum: abunde constat, quod aliud sit ciere menses, & aliud aperire ora uenarum, ut supra fufius à nobis demonstratum est. Tandem cum animaduertit, se prorsus à causa cecidisse Puteanus, sua sponte fatetur, aloën non per se, sed ex accidente ora uenarum aperire posse. Quod si inter initia dicere uoluisset, tum ista disceptatione nihil opus erat, quandoquidem nos, ut ex Paradoxo satis illi constare potuit, nihil aliud contenderimus, quàm quod aloë per se, & primo, non ualeat ora uenarum aperire. Quum itaque palàm monuerimus, nos non uelle quid per accidens, sed quid per se hoc in loco efficere queat aloë, inquirere: haud prudenter fecit Puteanus, quod à scopo illo temere aberrauerit. Diligenter enim in lib. tertio de Temperamentis, & lib. 1. Ca. 2. & 3. Simpl. medi. multisq; alijs locis hortatur Galenus, ut de medicamentorum facultatibus iudicaturi, studiosè dispiciamus, quid ex accidente, aut primo & ex sua natura efficere medicamentum ualeat. Nisi enim hoc ipsum accurata diligentia discreuerimus, fieri non potest, ut de propria natura ue facultate medicamenti recte iudicemus. Quare ut inutiles disputationes Puteani, aliorumq; euitaremus, hanc particulam, Per se, adijcere uoluimus. Denique frustra hoc loco Puteanus suo Mesure explanationem

rationem adiecit, qua illum ab errore se posse uindicare arbitratur, dicens: Simili modo etiam dicit Mesue, aloën uim expurgatoriam uel absterfuiam aliquando imprimere in uisceribus, propter quam sanguis exire potest. Non quidem ut Mesue asserat, aloën trahendo sanguinem educere, sed potius sua absterfione & digestionem ora uenarum aperire posse, adeò ut sanguis exeat. Hæc ille. Quis uero unquam apertionem uenarum per tractionem fieri dixit? Quis denique absterfione & digestionem, ora uenarum recludi affirmauit? Certe pudor est, prouectæ ætatis medicū tam pueriliter de rebus medicis differere. Galenus siquidem lib. 5. The. meth. ubi ex professo causas *ἀνασφοδῶστας* tradidit, tres duntaxat esse scribit: unam uasis imbecillitatem, ob quam sanguinem retinere diutius non ualet; alteram, sanguinis qui ad os eius impetu ruit, copiã; tertiam uero, acrem qualitatem, uerum ne uerbo quidem istarum causarum, quas Puteanus commentus est, meminit. Proinde errat uehementer, quod apertionem opus esse absterfionis putat. Errat etiam, quod tantam absterfendi facultatem in aloën esse existimat, ut ex accidente aperire ora uenarum ualeat: quod scilicet non exacte amara sit, & ut supra sæpe ex Galeno monuimus, paululum tantum extergeat, adeò ut etiã puris ulceribus non sit molesta. Quare ubi Mesuen ab errore uindicare conatur, hic eum grauioribus implicat. Neque illum Hippocratis aut Galeni autoritate tueri potest, quando euidentissimum sit utrunque, quando per se, quando ex accidente aliquid efficere dicerent, diligenter explicasse. De Galeno notius est, quàm ut ostendi debeat, Hippocratem uero accurata diligentia discreuisse ea quæ per se, ab ijs quæ ex accidente fiunt, uel una hæc sententiã, quæ habetur 5.

Apertionis  
causæ.



„ Aph. 21. docere potest: Est autem ubi in distentione si  
 „ ne ulceratione, iuvene bene carnosio, ætate mediâ, fri-  
 „ gidæ aquę multa perfusio calorem reuocat. Calor au-  
 „ tem hæc soluit. Quibus uerbis manifestissime in-  
 „ nuit, morbum hunc per se curari à calido, ex acciden-  
 „ te autem à frigido. Quanquam si demus etiã Hippo-  
 „ cratem interdum, qui antiquæ breuitatis studiosissi-  
 „ mus fuit, sic loquutum fuisse: non tamẽ ideo sic esse lo-  
 „ quutum Mesuen concedemus, ut quem constat ab  
 „ hac loquendi breuitate longe abfuisse. Non est igi-  
 „ tur quod facultates eas, quæ ex accidente fiunt, ut  
 „ falso sibi persuadet Puteanus, aut negemus, aut igno-  
 „ remus: quum etiã antequam medicinæ nomen dare  
 „ mus, multos esse quæ ex accidente fierent effectus, in  
 „ philosophorũ Scholis didicerimus. Sed id potius con-  
 „ tendimus. Vbi de medicamentorum facultatibus agi-  
 „ tur, ut confusio omnis euitetur, diligenter esse discer-  
 „ nendum, & diserte explicandum, quid per se, quidq;  
 „ ex accidente fiat, ut palàm omnes intelligant, illam  
 „ natiuam, hanc uero aliquo interueniente productam  
 „ esse facultatem. Caterum quod Puteanus Plinium  
 „ ne dignum quidem existimat, qui medico nominetur:  
 „ omnes docti & boni uiri quã imprudenter, ne di-  
 „ cam inscienter dictum sit, iudicabunt. Ego uero con-  
 „ trà dicere ausim, me Puteanum in nullo prorsus me-  
 „ dicorum numero hoc uno nomine habere, quod te-  
 „ merè & nullo iudicio Plinium à medicorum nume-  
 „ ro reijciat: quem tamen constat sagacem eorum om-  
 „ niũ fuisse inquisitorem, & multa haud secus atque  
 „ Galenũ ex prioribus medicis transcripsisse. Fateor  
 „ quidem, nullam medendi methodum Plinium nobis  
 „ tradidisse: at minime hoc nomine repudiandus uenit,  
 „ quum aliàs Dioscorides pari ratione reijciendus esset,  
 „ ut qui

*Plinius à  
 medicis nõ  
 reijciendus.*

CONTRA PVTEANVM APOLOGIA. 71

ut qui promiscue herbarum aliarumq; rerum facultates docuerit. Quàm uero plurima sint apud Plinium, quæ ijs qui probe medicinam exercent adminiculo esse queant, notius certe est quàm ut à me in præsentia dici debeat. Hoc monuisse sat sit, multas esse sanè herbas, nostro etiam tempore maxime usitatas, quæ à nullo qui hodie extet autore alio quàm Plinio descriptæ sunt: ut hoc saltem uno nomine ægre illo uere medici carere uelint, aut possint. Sed de re notissima temere plura nō dicam. Quare ad postremum, quem nobis obiicit locum Puteanus, sermo noster festinet. Is habetur lib. 5. The. meth. ubi Galenus conficere docet emplastrum, ad omnem sanguinis fluxum sistendum aptissimum: quod fit ex thuris parte una, et aloës dimidiata. Primum autem ex hoc loco nō posse nos ostendere ait, quod aloë ora uenarum aperiat: quod hæc ipsa non sola, sed thuri admixta à Galeno adhibeatur, qui certe lib. 2. Simpl. med. Ca. 9. ea medicamenta, quæ ad experientiam uocantur, simplicia & impermixta esse debere aperte docet. Ad quod respondeo: uerum esse quod ea medicamenta, quorum facultates explorantur, simplicia & impermixta esse oporteat. Proinde ubi quis in uniuersum de aloës facultatibus exquisitè iudicare uoluerit, necesse est ut id faciat in sola aloë, quæ nulli alteri medicamento permixta sit. Hoc autem in loco Galeni, non quærimus quid in uniuersum possit aloë: sed hoc potius inuestigamus, quapropter aloë hoc in emplaistro, quod ad reprimendum sanguinem confectum est, thuri adiecta sit. Quare nunquam in mentem uenit, quod putat Puteanus, ut ita colligerem: Thus & aloë sanguinem sistunt, igitur aloë sanguinem sistere ualet. Perin-

*Galeni locus expenditur.*



de enim esset, ac si quis in hunc modum ratiocinaretur: Oleum, cera & ærugo simul mixta carnē producere possunt: igitur oleum se solo carnē producit. Quam enim absurdum esset ita colligere, ex ijs quæ Galenus lib. 3. The. meth. tradit, planū sit, Falso itaq; nobis adscribit Puteanus, quæ ne per somnium unquā in mentem uenerunt, tantum abest ut scriptis mandare uouerimus. Quum itaq; necessarium esse dixerimus, ut qua ratione thuri adiecta sit aloë excutiat: audiamus primum, quam eius rei rationem adferat Puteanus: dein quā hęc uera sit, dispiciamus. Non alia causa aloën thuri adiectā inquit, quā quod illud magis emplasticum efficiat. Thus enim quia emplasticum, ex lenta crassaq; constat essentia, quæ ob id est contumax penetrationi: aloë uero quatenus est amara, eatenus substantiæ est tenuioris atque thus, & facilius subintrantis. Igitur in parua quãtitate thuri admixta, lentorem thuris & crassiciem sua qualicunq; subtilitate in paruos cutis meatus deducit, & quasi infarcit: unde totum aggregatum ex thure & aloë magis emplasticum efficitur. Hęc Puteani egregia est ratio, qua conatur ostendere, aloën non ea ratione ut sanguinis profluuium sistat, sed potius ut totum emplastrū magis emplasticum efficiat, adiectam esse. Atqui si aloë magis emplasticum thus efficit, igitur etiam obturandi facultatem auget, neq; enim differūt inter se *εμπλαστικά* & *εμφρακτικά*, Galeno lib. 5. Simpli. medi. Ca. 11. teste: sed quæcunq; corporis meatibus illita tenaciter herent, hęc etiam obturant, obstrunt ue. Si obturandi facultatem thuris auget aloë, igitur hac ratione ut profluuium sanguinis sistat adiecta est. Vide ut suo gladio iugulatus sit Puteanus. Vt autem ingenue ueritatē fateamur, nihil magis ridiculum aut puerile

rile dici potuisset, quàm quod aloë magis emplasticū  
 thus ipsum ideo efficiat, quod ad profunda deducat.  
 Si enim Galeni locum iam citatum à Puteano expendas,  
 nullum prorsus locum habere posse eius rationē  
 animaduertes. Galenus enim, ut ex contextu uerborum  
 manifestissime liquet, eo loci de hoc sanguinis  
 profluuiō sistendo agit, quod fit ex ijs partibus, quę ad  
 manū, & in superficie corporis, minimeq; in alto eius  
 sunt sitæ. Si itaque uenæ hæ, unde sanguis profluūt, ad  
 manum sunt: nulla certe ratione asserere potest Puteanus,  
 aloë ideo à Galeno additam esse, ut in profunda  
 deducat obturandi facultatem thuris, cum partes, unde  
 sanguis manat, in aperto, & ad manum sint. Sed  
 dato, quod necesse sit aloë thuris facultatem ad profunda  
 deducere: tamen id ipsum haud poterit, utpote non  
 aëria substantia ut Rhapsodicum, sed terrena potius,  
 ut paulo antea ostendimus, prædita. Si enim exacte  
 amara consistentia sua terrena sunt, quanto magis  
 ea, quibus iuncta adstrictio est: uelut aloë. Verum  
 instat Puteanus, hoc in loco thuris facultatem  
 emplasticam ad profunda pelli ab aloë adstrictione: sicut  
 alijs multis medicamentis contingit, quorum facultas  
 per adstrictionem ad profunda corporis impellitur,  
 Galeno lib. 3, Simpli. med. Ca. 16, teste. Hic primum  
 respondeo, non opus esse in præsentia ad interna  
 deductione, cum affectus talis sit, qui manu cōtingi  
 possit, adeoq; ad quem mox manus admotione  
 medica menta ipsa peruenire ualent. Sed demus,  
 sicut supra, quod opus sit, ut ad alta corporis  
 ducatur thuris facultas: certe hoc ipsum  
 aloë adstrictio præstare haud poterit,  
 ut cui non multū tenuis essentia insit. Sola enim  
 adstringētia, ut testatur Galenus loco iam citato,  
 quæ plurimum continent in se essentia tenuis & calida,  
 corpora

*Aloë ad profunda ducere thus non potest.*



corpora admota, ut altius ingrediantur, impellunt.

Quare Galenus aloën thuri admiscuerit.

Alia igitur subsit ratio, propter quam Galenus aloën admiscuerit thuri, necesse est. Alia autē, si Galeni uerborum contextum intimius introspicias, nulla est, nisi hæc ipsa. Thus etsi emplasticum sit, tamen ut sanguinem e uenis promanantem prorsus inhibeat, sufficere non potest, ob exiguam scilicet eius adstrictionem & siccitatem, Galeno siquidem lib. 7. Simpl. med. autore, desiccatur in primo ordine, & pusillam adstrictionē obtinet. Quapropter ut illi adfungatur aloë, quæ in tertio ordine, eodem Galeno teste, exiccantium est, magisq; thure glutinat, necesse est. Hanc autem ueram esse rationē mixturæ aloës cum thure, satis ostendunt Galeni uerba, quæ lib. 5. The. meth. habentur, ubi inter alia sic ait: Ut carne muniatur uas necesse est. Hoc autem non nisi medicamentis impendio siccis, ut est aloë, fieri potest. Siccitatis uero augendæ ratione adiectam esse à Galeno aloën, eiusdem satis testantur uerba, quæ sic habent: Porro constat in duris corporibus plus aloës esse immiscendum: in mollibus, plus thuris. Dura enim corpora quum sicciora sint, medicamenta etiam quæ carnem producant similem sicciora requirunt. Et quod carnis generandæ causa addita sit aloë, abunde etiã hæc Galeni uerba demonstrant: Sunt porro, ait, & alia non pauca medicamenta, quæ citra omnem dolorem emplasticam uim obtinent; uerum nullum ita carne implet. Carne autē implere thuris ratione non posset, utpote quod siccis corporibus, ut sunt uenæ, Galeno lib. 3. The. meth. autore, paulo humidius est: atque adeo in ijs carnem producere hæud ualet. Quid multa? Aloë non aliam ob causam, nisi propter suam siccitatem & adstrictionē, quibus uulnera glutinare potest, adiecta est. Atque hinc

hinc adeò uerissimum est, aloën occludendi, non aperiendi ora uenarum facultatem, contra Mesues sententiam, obtinere. Vnde etiã omnibus iam notum esse arbitror, Puteanum turpiter hallucinari, & præfacto animo falsam Mesues tueri opinionem: ut quæ nõ tantum ueterum testimonijs, imò etiã rationibus firmis iam penitus per nos explosa sit. Intelligunt quoque ex ijs quæ produximus in hoc libello, omnes quot quot ueritatis studiosi sunt, quàm peruerse in alienũ sensum complura Galeni loca torserit Puteanus: & quod in hunc disceptandi campum non alia nisi fame aut nominis, lacessendis sugillandisque bonorũ ac doctissimorum uirorum, Manardi potissimum iam mortui, & de re medica non male meriti monumentis, aucupandi gratia descenderit. Sed faxit deus optimus maximus, ut agnito tandem errore, quem iam præfacto animo defendit, in uiam redeat: & ueritatem, quam iam hostili animo infectatur, ambabus ut dicitur, manibus amplectatur.

APOLOGIAE LEONARDI

*Fuchsi* contra Puteanum,

FINIS.





# APOLOGIA ADVERSUS ALIQVOT

PALAM INSANAS ET CONVITIIS

plenas Sebastiani Montui dialexeis, non-

nulla Paradoxorum capita

temerè perstrin-

gentes.

LEONARDO FVCHSIO  
MEDICO AVTORE.



APPOLOGIA

ADVERSUS ALIQUOT

PALAM IN SANAS ET CONVITIB

plenas Sebastiani Monachii

Nulla Paradoxorum capita

tenere potest

Genes.

LEONARDO VERNIO

MEDICO AVTORE

# APOLOGIA ADVERSVS

ALIQVOT PALAM IN SANAS ET CONVI-

tij's plenas Sebastiani Montui Dialexeis, nonnulla Parado-

xorum capita temere perstringentes, Leonardo

Fuchſio medico autore.

## P R A E F A T I O.

**N**UPER cum aduersus Puteani libellū, quo Meſue ſuo patrocīnatur, apologiā parturirem, ecce inſperato prodeūt Sebastiani Montui dialexeis multo atrocifſimā, & omni conuiciorum genere cumulata. Diceres non ſenile, ſed hiſtrionicū planē ſcriptum, niſi Montuum autorem eſſe conſtaret. Proinde rectius illi Διαβολῶν, quāμ διαλέξεων titulum indi-diſſet: quod ſcilicet in hoc toto ſcripto nulla prorsus ſcita & emendata ſit ſermocinatio, ſed omnia inelaborata, & ſenis hominis ingenio indigna exiſtunt. Deniq; præter conuicia, quę neq; leuia, ſed planē ſcurrilia ſunt, nullam eruditionem aut modeſtiam, homine ſaltem civili dignam, ſpirant. Et ut rem in pauca contra-ham, qualis uir, talis oratio. Has ubi primum peruſtraui, ſic planē ſtatueraμ & deliberaueraμ, ut ad eas ne uerbum quidem ullum reſpondere uellem: non certe hoc nomine, quod canina illius maledicentia deteritus, cum eo cōgredi pertimeſcerē, (probē enim conſtabat, canes timidos, ut eſt in prouerbio, uehemētius latrare:) ſed quod ea ferē omnia quę producit, in Paradoxis noſtris abunde confutata eſſent: & quod minime mihi arrifſſet, maledicta maledictis, cōuicia conuicijs compenſare. Verum cum ita mihi deliberatum & conſtitutum eſſet, ſubito aliud conſilium cœpi, et in



*Occasio A-  
pologiae.*

diuersam partem distractus animus est; in eam nempe, ut Montuo non tam responderem, quàm Paradoxis per illum notatis explicationem adderem. Quod eò etiam libentius consiliū amplexus sum, quia cum deinceps nemini me uelle respondere in animū profus induxerim, putauī hac ratione cōmodè ac opportunè fieri posse, ut reliquis etiā Paradoxis in tribus ijs Apologijs nō tractatis, explicationes suas adiicerem, & hac lege plerisque alijs temere nos calumniandi insecutandiq; occasionem præcinderem. Proinde etsi ea apud nos uicerit sententia, sic tamen stylum temperabimus, ut nemo in nobis modestiam desiderare, tantum abest ut conuicijs potius quàm rationib. nos egisse meritò dicere queat. Quare utcunq; ea in re animi sui affectibus indulserit Montuus, ac maledici conuiciatoris nomen meruerit, tamen nos ad conuicia eius nihil respicientes, rem ipsam potius, de qua nobis controuersia est, disertè ac breuiter explicabimus, atq; ut toto cœlo erret Montuus planū faciemus. Nolo enim

Lectōri inutilibus aut uerbis aut disceptationibus molestus esse, id quod nusquā non fecisse

Montuum uideo. Sed iam ad confu-

tationem eorum quæ contra

nos profert Montuus,

oratio nostra

uertatur.

PRAEFATIONIS

PRÆFATIONIS IN  
 PRIMVM DIALEXEON S. MONTVI  
 Librum Confutatio.



VO animo libellum, cui titulum indidi  
 ERRATA RECENTIORVM ME-  
 DICORVM, inuulgauerim, abunde in-  
 nuncupatoria epistola, quam Paradoxo-  
 rum operi præfixi, testatus sum. Neque  
 enim ut ista inscriptione recentiorum medicorum di-  
 gnitatem labefactarem, quemadmodū sinistrè inter-  
 pretatur Montuus, in publicum prodire scriptū hoc  
 uolui: sed ut potius eosdem ad ueritatis inquisitionē,  
 & rectoris solidiorisq; medicinæ studia inuitarem. Po-  
 tissimum autem Germaniæ nostræ medicos, quos uni  
 Auicennæ, & paucis alijs non admodum eruditis au-  
 toribus, contemptis Galeno ac reliquis optimis scri-  
 ptoribus, idēq; magno supercilio, addictos esse uide-  
 bam, hoc scripti genere excitare uolui: ut scilicet tan-  
 dem resipiscerent, & neglectis turbidis illis lacunis, ex  
 ipsis potius fontibus haurirent medicinam. Quod cer-  
 te dum magno animi ardore efficere conor, motus in-  
 dignitate rei, & iuuenili etiā calore, quo tum flagra-  
 bam, ductus (annum enim cum Errata scriberem, ui-  
 cesimum nonum agebam) seruentior ac uehementior  
 sum forte, quā expediat: ut qui tum per ætatem hunc  
 animi impetum reprimere ac restringere haud potue-  
 rim. Nunc uero ubi is animi ardor resedit, ut ingenue  
 fatear quod res est, si ad hæc respicio, non nihil displi-  
 cent. Quamuis non desit, quo me tueri possim: sæcu-  
 lum nimirum, quo hæc exarabam, corruptissimum, ut  
 quod uehementem & pugnacem orationem require-

*Errata re-  
 centiorum  
 medicorum  
 cur diuul-  
 gata.*



bat, quando aliàs uix fieri potuisset, ut à cōcepto semel errore in usam reduceretur. Huic accedit, quod hoc tempore nihil minus sperauerim, quàm quod hoc meum scriptum ad Italos aut Gallós (apud quos multos esse, qui solidioris medicinae studio delectarentur, non ignorabam) esset peruenturum, utpote ad quos nihil pertinere putabam: quandoquidem Germanorum duntaxat gratia, apud quos prorsus labefactatā esse solidioris Medicinae dignitatem perspectum habebam, hoc ipsum edidissim. Atq; adeo factum etiam, ut interdum acerbius Auicennam aliosq; eius farinae autores insectatus sim, ut nimirum acri hac obiurgatione animos illorum ad meliores rei medicae scriptores pertraherem. Non est itaque cur, ueluti Montuus somniat, me animo calumniandi medicos hanc prouinciam suscepisse quis suspicetur: sed ut eosdem potius ab erroribus ad ueritatis inquisitionem, patriae salutis amore ductus, reuocarem.

Ceterum quod me ne à uestibulo quidem salutasse medicinam ait Montuus, id suo ipsius testimonio falsum esse docebimus. In epistola enim ad Symphorianum Campegiū, annotatiunculis suis praefixa, sic scribit: Leonardus Fuchsius, uir, quantum opinor, utraq; peritus lingua, & medicinalium rerum scientia non indoctus. Proinde qua cōstantia iā diuersum dixerit, facile docti aestimabunt. Sed liuoris stimulis agitatus, priorum uerborum meminisse non potuit.

Porro quod obijcit, me omnia ex recentissimis scriptoribus medicis suffuratum esse, non est cur diluam: quando ingenue semper testatus sim, me errores eos magna ex parte è Leonicensi, Manardi, & Briffoti monumentis collegisse, paucos tamen antea à nullo indicatos adiecissem. Accedit, quod passim etiam honorifi-

cam

tam istorum doctissimorū hominū mentionem fecerim, & me multa ex ijs in meum usum transtulisse nunquam negauerim: quemadmodum satis superq̄ in Paradoxis diximus, ut mirari satis non queam, cur hic repetere uoluerit Montuus, cum abunde antea refellerim. Quod asperioribus uerbis Montuum perstrinxerim, id sibi imputet, ut qui prior melacessere uoluerit. Quare si modum aliquem conuiciorum statuisset, atque modestiē specimen de se præbuisset, haud dubie me placidum atq̄ mollem reddidisset. In presentia rum tamen, utcumq̄ ille scurrili dicacitate, graui uiro indigna, usus sit, ut illū modestia uincamus, strenuam operam nauabimus.

Deniq̄ senectutem apud omnes tum Christianos, tum Ethnicos uenerandam me uituperasse, tanquam à Montuo temere excogitatum, constanter negamus. Absit enim, ut in eam prolabamur dementia, ut senectutem, quam Salomon coronam dignitatis appellat, deformem. Sed placuit Montuo fingere omnia, modo in odium multorum rapiat Fuchsiū.

*Senectus corona dignitatis.*

## DIALEXEOS PRIMAE CONFVTATIO.

**Q**uod aloë per se non possit ora uenarum aperire, manifestæ cuiusdā qualitatis ratione abunde in Apologia contra Puteanū demonstratū est. Quare hic nihil eorū quæ illic diximus repetemus, sed breuiter ad Montui tantum obiectiones respondebimus.

Primum quidem fateor ingenue, me in Auicennæ monumentis non diligenter esse uersatum: quod semper cauerim, ne bonas horas malè collocarem. Quare nihil mirum, si Montuum in Auicenna citando reprehenderim. Ego siquidē cum uniuersum caput de aloë in secundo Canone studiose perlustrassem, nec quicq̄ de



de eius apertione inuenissem, arbitratus sum illū alijs etiā in locis sui similem fore. Sed planē falsus sum, nā Tract. 1. cap. 5. Canonis secūdi, planē haud secus atq; Mesue, aloēn ora uenarū aperire tradit. Quapropter cum non hoc solum in loco, uerum alijs etiā multis sibi pugnantiā doceat Auicenna, per me iam tuto licebit Montuo, ut in Mesues errorem, utcunq; antea repugnauerim, Auicennam pertrahat. Quod ad Mosis testimoniū attinet, non magnifacio quid compilator ille dixerit, aut non dixerit. Nihil enim mirum, si ille cum factione sua Arabica in recensendis aloēs facultatibus errauerit.

*Aloē essentiae ratione non aperire ora uenarum.*

Argumentum quo colligo aloēn essentiae suae proprietate non posse ora uenarū aperire, Montuus contra consuetum ac communem loquendi medicorum morem intellexit. Neq; enim id contendo, quod nihil possit esse impedimento, quin semper aloē ora uenarum aperiat, quid enim absurdius: quando nec scāmonia, quae itidem essentiae familiaritate bilem trahit, semper eandem per inferna ducere uideatur: quod scilicet sint, quae actionem hanc eius interdum remorentur. Sed id potius uolo, quod aloē si essentiae proprietate, seu (ut loquitur Mōtuus) abdita caeca ue proprietate, ora uenarum aperiret, tum idem quatenus ex ipsa est semper efficeret: haud aliter quam purgatoria medicamenta, quae nunquam non intrō corpus sumpta, quod utiq; ex ipsis est, humores sibi familiares trahunt, nisi aliquid accedat, quod actionem illorum impediāt. Sic non raro propter corporis affectionem, cui adhibita sunt, suis actionibus frustrantur, quae à tota substantia aliquid agunt. Quare non est quod simpliciter dixerimus, aloēn perpetuo aperire ora uenarū, si insita proprietate aperiret: ut Montuum perperam interpretari  
liuor

lior docuit. sed hoc ipsum quouis modo deuoratam posse efficere, nisi sit quod naturam eius ex accidente, ut sæpe etiam purgatorijs accidit medicamentis, impediat. Proinde quum necesse sit, quod utiq; ex ipsa est, ut perpetuo, uel saltem ut plurimum, si impedimenta spectes, aloë ora uenarum aperiat, si essentia familiaritate id ipsum efficit, diuersum tamen euenire hodie experientia (quæ sola, Galeno teste, effectus eos qui à tota substantia fiunt, cognoscit) abunde doceat: (multos enim, imò ferè omnes, aloë sumpta purgat: paucissimis autē, idē non per se, sed ex accidente, ora uenarum aperit:) euidentissimū est, ipsam à tota substantia, seu ab occulta proprietate id ipsum efficere haud posse.

Cæterum admodum ridiculum est, quod Montuus ad tertiam obiectionem respondet. Nam Galenū per multas simplicium medicamentorū noxas sibi cognitatas reticuisse, & literis non mādasse: uere dicitur de ijs, unde si prodantur, aliquid uitę mortalium periculi imminet: ut sunt omnium uenenorū, & eorum medicamentorum quæ grauidis abortum afferunt, atq; ut ne unquam deinceps concipiant, efficiunt, & quæcunq; eius sunt generis, atque à Galeno ipso in præfatione libri decimi de Simpl. med. facult. cōmemorantur. Minime uero de ijs noxis, quas scire medicis alijsq; omnibus utile est. Hinc est, quod nonnulli has noxas peculiaribus in hoc editis libellis prodiderint. Quapropter cum nihil sit periculi, scire aloën facultatem aperienti ora uenarum habere, imò inde commodum non leue medici consequatur, quod scilicet hac lege eius usum in hæmorrhoidum profluuio cauendū esse omnibus innotescat: certe minime credibile est, Galenum eam reticere uoluisse.

Non omnia cognouisse simplicia medicamenta, Galenus nō

l

quorum omnia sim-

Quorū me-  
dicamento-  
rum noxas  
Galenus re-  
ticuit.



*plicia medi-  
camentā co-  
gnita ha-  
buit.*

quorum hodie frequēs usus est, Galenum, Iubens con-  
cedo, at eorum, quæ cognouit, quibusq̄ frequenter  
usus est, ut est aloë, facultates omnes non agnouisse,  
hoc constanter negamus. Quis enim per Deū immor-  
talem fieri potuisset, ut hanc aperiendi ora uenarū fa-  
cultatem in aloë, qua millies usus est, non aliquando,  
uel semel saltem, deprehendisset; potissimum cum om-  
nibus constet, illum simplicium medicamentorum fa-  
cultates omnium diligentissime rimatum esse.

Quod uero eam aloës facultatem Galenum igno-  
rasse, Apij exemplo probare nititur Montuus, nō alia  
facit ratione, quam quod Arabū decretis prorsus addi-  
ctus, quicquid illi finxerunt, tanquā Apollinis oracu-  
lum suspicit & amplectitur. Nam somniū esse, quod  
de Apio prodiderunt Auicenna & hunc per omnia  
sequutus Mesue, ut pleraque alia eiusmodi, notius est  
quam ut à me demonstrari debeat. Nam nemo recen-  
tiorum medicorum id tuto de Apio se expertum esse,

*Verū apij  
barbarā se-  
stantib. me-  
dicinā, inco-  
gnitum.*

quod tradunt Arabes, affirmare audet, ut quibus ue-  
rum & genuinum Apium prorsus incognitū sit. Huc  
accedit, quod si etiā ijs notum fuisset, aut hodie etiam  
agnosceretur, tamen deterriti numinis sui Auicennæ  
horrenda autoritate, morbo comitiali correptis exhi-  
bere nunquam ausi fuissent, neque etiam hodie aude-  
rent. Quare nihil te moueant frigidissimæ hæ Mon-  
tui rationes, ut credas Galenum perperam puero co-  
mitiali morbo affecto apij usum prescripsisse; quin po-  
tius hoc Arabum præceptum, ut ipsissimū nugamen-  
tum, audacter contemnit. Hactenus quæ Montuus  
contra nos produxit, irrita & parum firma esse demō-  
strauimus. Quæ sequuntur, ad Puteanum attinent;  
cuius interest, ut illa diluat, id quod nullo prorsus la-  
bore, quandoquidem nullius momenti sunt quibus

Montuus

Montuus utitur argumentis, efficiet. Porro argumenta ea quibus demonstrare conatur, aloën manifesta qualitate uenarum oscula referare posse, omnia ex Puteani libello desumpta sunt, atque adeò in Apologia nostra aduersus hunc scripta abunde confutata.

Secundū nostrū de aloë Paradoxū, quod scilicet hec melli admixta plus purget, Hippocratis, Dioscoridis et Galeni testimonijs, nihil ad id qđ propositū est faciētibz nos probasse Montuus inquit, quod tantum id, quod mel aluum ad excretionem proritet, demonstrare uideantur; id quod nec Auicēna, nec Mesue inficiatur. Sed quo candore hæc dixerit Montuus, facile æstimabūt, qui Paradoxa nostra legerint, manifeste enim deprehendent, primum nos prænominatorum autorum testimonijs, quod mel se solo aluū subducere possit, docuisse. Dein etiam, quod additum alijs, quibus proritandi aluum facultas inest, idem possit, Dioscoridis, Plinij, Galeni, Psellijq; autoritate planū fecimus: id quod tamen callide admodū dissimulat Montuus.

Præterea pergīt, & uerba hæc nostra: Si mel se solo uentrem subducere potest, quur non idem plus efficeret additum alteri, quod similem obtinet uim: suo more, hoc est falso, & contra animi nostri sententiam interpretatur, atq; adeò ex ijs bis nos errasse colligit. Primum, quia non similis omnino, sed maior est aloës quàm mellis purgandi uirtus. quasi uero omnino mel li aloën simile dixerimus. Et sanè uerba hæc, quod similem uim obtinet, satis indicāt, nos tale nihil quod commētus est Montuus, nēpe qđ æqualis esset utriusq; purgandi facultas, uoluisse. Quis enim est tā iners, tamq; sine mente, ut nesciat maiorem purgādi uim esse aloës quàm mellis? Et nos sanè anteq; hic Dialexeon liber

Aloë admixta melli magis purgat.

Quo pacto intelligendū sit, aloën melli esse similem.



*Mel manifesta qualitate uentrem subducit.*

ad nos peruenisset, aduersus Puteani erroneam sententiam aloë esse uere & per excellentiam purgans medicamentum, hoc est familiaritate qualitatis seu essentia biliosum humorem trahere, planū fecimus. Quum itaq; mel tale non sit, imò manifesta qualitate, acrimonia nimirum, uentrem subducatur, omnino simile aloë, quoad purgandi facultatem, esse haud potest. Quare alia ratione simile obtinere uim diximus: hac scilicet, quod uentrem haud secus quam aloë subduceret, licet diuersa ratione & efficacia. Sic omnia medicamenta uere purgatoria similia sunt, quia familiares succos attrahunt, nō obstante quod hoc bilem, illud pituitam, aut atrā bilem, hoc ualentius, illud imbecillius trahat. Satis igitur liquet, nos non omnino similem aloë fecisse mel: hoc enim ne per somnium quidem in mentem uenerat: sed similem uim obtinere potius dixisse, hoc est, utriq; facultatem subducendi uentrem inesse, nihil laborantes, num æquali efficacia id possent.

*An simile additū simili magis efficaciusq; agat.*

Secundo me errasse colligit, eo quod dixerim, idem additum alteri, quod similem uim obtinet, magis efficere, neq; enim hoc uerum esse, nisi illa in forma & gradu similia fuerint. Hic iterum Montuus, ut calumniandi habeat occasionē, ex particulari uniuersalem facit, & dictionem nostram prorsus peruertit: id quod ex ipsis uerbis facile deprehendi potest. Nullo enim sensu effertur idem additum alteri, aut simili magis efficit: sed dicendum potius erat, simile additum simili ipsum maius seu efficacius efficit. Quare alio à me sensu dictū sit, necesse erit: eo nēpe, quod mel, quod subducere uentrem potest, additum aloë, quæ etiam subducendi uentrem facultatem obtinet, magis subducere uentrem queat. Hoc autem sensu nos protulisse, uerba nostra pulchre docent, quæ sic habent: Si mel se so  
lo

lo uentrem subducere potest, quur non idem plus, id  
 est efficacius, efficeret additum alteri, aloë nimirum,  
 quod similem uim obtinet? Verum iam instat Mon-  
 tuus dicens, simile additum simili non semper effica-  
 cius reddit, nisi utraq; in forma et gradu, ut philosophi  
 loquuntur, similia fuerint. Respondeo; simile addi-  
 tum simili non efficacius fieri, nisi in gradu & forma  
 simile sit. Veritatem habet de ijs, quæ primis qua-  
 litatibus, caliditate, frigiditate, siccitate & humidi-  
 tate agunt. Sic enim Galenus lib. 3. Cap. 6. *Simplic.*  
 ijs uerbis docuit: Quippe datis duabus aquis calidis,  
 quarum altera plus, altera minus caleat, misceas mi-  
 nus calentem magis calenti, huius certe feruorē extin-  
 xeris. Verum de ijs quæ aluum subducūt, minime ue-  
 rum est, nam si duo aluum citātia, efficacia etiam ipsa  
 imparia, cōiunxeris, ut plus aluum citent haud dubie  
 efficiēs. Testis in primis est Galenus, qui lib. 2. de Ali-  
 mentorum facultatibus, pruna Damascena in melicra-  
 to mellitiore decocta, magis mollire aluum asserit.  
 Psellius deniq; prunis Damascenis, ut aluum magis  
 dericiant, mel esse adiñciendum scribit. Præterea nisi  
 hoc concesserit Mōtuus, omnes quotquot hodie me-  
 dicinā exercent, erroris insimulet necesse erit. hi enim  
 leuia cathartica fortioribus, & contra fortiora leuibus  
 adiungunt; non alia sanè ratione, quàm quod satis est  
 purgare possint. Sic nō raro medullæ casia fistulaceæ  
 ecligma diā phœnicōn adiñcitur: nullo alio certe nomi-  
 ne, quàm ut fortius purget, quod equidem nunquam  
 fieret, si magis purgans minus purgantis uim obtun-  
 deret. Quum itaq; unum alterius efficaciam promo-  
 ueat, & adiuuet, non in uniuersum uerum esse potest  
 quod Montuus ait, non semper simile additum simili  
 magis agere, nisi utraq; in forma & gradu fuerint simi-



lia. Sed quid attinet nos ijs minutijs temere perdere chartas; neque enim Arnoldi aut Gentilis autoritas tanta est, ut manifestam experientiam subuertere possint. Porro puerile est quod Montuus inquit, picram non mellis, sed aliorum potius que in se habet ratione magis purgare, quorum acrimonia & calore mel tenuius atque acrius efficitur. Nam si hæc ratio locum haberet, tum mel frigidis medicamentis aluum citantibus adiectum, efficacius reddere eorundem uim subduendi haud posset, cuius tamen contrarium experientia, & loca paulò ante ex Galeno & Psellio citata docent. Damascena siquidem frigida sunt: nihilominus tamen mel illis additum efficit, ut magis molliant aluum, idem non ideo, quia acrius et tenuius reddant mel frigida enim sunt, ut diximus, & lentore aliquo participat, atque adeo ab ea actione remotissima. Quam igitur frivola atque imbellis prædicta Montui sit ratio, ex ijs quæ diximus abunde omnibus constare puto.

*Aloë stomacho grata.*

Ad tertij Paradoxi confutationem, quod scilicet aloë stomacho grata sit, nihil in præsentia respondemus: quod illi in Apologia contra Puteanum plenissime satisfecerimus. In ea itaque requirat Lector, quæ ad Montui cauillationes diluendas necessaria sunt.

*Liber de Simplicibus ad Paternianum.*

Quod librum de Simplicibus medicamentis ad Paternianum, ad Galenum autorem retulerim, non alio factum est nomine, quam quod communem multis sententiam secutus fuerim. Ego enim cum intelligerem hunc librum non esse Galeni, tamem cum nescirem cui adscriberem, sub ueteri titulo ex eo libro deprompta citare uolui. An autem Orisbasi sit, ut putat Montuus, certo scire, quod mihi Orisbasius integer nunquam uisus sit, non possum.

DIALE-

## DIALEXEOS SECVNDÆ CONFVTATIO.

**Q**Uæ huc spectant, in Apologia contra Puteantii (à quo singula quæ aduersus nos producit, suppresso tamen astuté nomine, transcripsit Montuus) fuisse per scripta offendes. Nos enim & chartis & temporis parentes, de una & eadem re sæpius disserere noluimus.

## DIALEXEOS TERTIÆ CONFVTATIO.

**M**ANNAM nouisse Galenum, nihil refragamur: at nequaquam sub Mannæ, sed mellis acris nominis, id quod multis argumētis in Paradoxis nostris demonstrauimus. Quare cum ueteres Græci sub mānæ uoce rem diuersam ab ea, quam Arabes eodem nomine appellant, intelligant, studiosè cauendum, ne utrorumq; autorum mannam, unam & eandem rem esse putemus.

*Mannā Arabum Galenus cognouit.*

Cæterum Mesuen, imò reliquos etiam Arabes, multa citasse ex Græcis autoribus, quæ in ijs nusquam inueniuntur, notius est quam ut à me demonstrari debeat. Neq; eius rei causa alia est, quam quod multa per interpretes Arabes adiecta sunt, quorum nulla in *ἀπολογία* exemplari mentio fit. Sed instat Montuus, isthuc nō esse uerisimile, quod cōmentarijs quidpiam addere ad falsarij potius, quam fidi interpretis officium pertineat. Recte sanè, nam nullo alio nomine accusamus Arabes interpretes, quam quod Græcis, quorum tamen monumenta minus quam nos deprauata habuisse credibile est, sua somnia passim assuere non ueriti sint. Adiecisse autem multa, atque adeò falsariorum crimine recte notatos esse Arabes, multa Galeni scripta ab ijs uersa palàm declarā: potissimum

*Cur Arabes multa ex Græcis autorib. citēt, quæ in ijs inueniantur.*



potissimū uero libri ad Glauconem inscripti, in quibus quā multa ex illorum sentētia accesserint, nemo non, qui uel conuersionem illam Arabicam cum Greco, aut si id haud licuerit, cum Latina Leoniceni interpretatione conferre uoluerit, deprehendet. Hinc est quod multi boni & docti uiri, ante me etiam, hoc uitium in Arabibus reprehenderint.

Qualis uir  
Montuus.

Fatetur tandem Montuus, plurima inueniri in Arabum monumētis, quę *ὀβελίσκοις* & miniatulis cæris digna sint; quę promulgare satius esset, quā more meo actum agere, id est ab alijs doctē tractata transcribere. Ex quibus sanē uerbis, qualis uir sit Montuus, omnium euidentissimū fit. Agnoscit plurima esse Arabum errata, quę tamen ipse magna impudentia tueri conatur. Quum itaq; agnitæ & manifestæ ueritati repugnare non uerecundetur Montuus, quid de illo sentiendum sit, quisq; facile æstimare poterit. Denique si ego ea, quę alij doctē tractarunt, duntaxat transcripsi, ut ipse ait: quare ut mea reprehendit, quum ut aliorū sunt, docta esse fateatur: Liuor ut id faciat hunc impellit: cuius stimulis per totum illum libellum mirifice agitat, nihil ueretur ijs, quę antea scripsit, manifeste contradicere. Quapropter nemo deinceps magnificet, siue laudetur, siue uituperetur à Montuo, summæ inconstantia homine.

Porro mirari subit, cur tertiā hanc dialexin non prætermiserit Montuus: quando affatim omnia, quę contra nos profert, in Paradoxis antea confutata sint. Ad hæc itaq; ut recurrat, qui plura desiderat, hortamur.

#### DIALEXEOS QVARTAE CONFVTATIO.

**Q**Væ in hac Dialexi profert Montuus, tam futilia, imò palam euentita sunt, ut pudeat ad illa uerbum

uerbum respondere. Nam nihil aliud conatur docere, quàm quod herbarū descriptiones fallaces sint, atq; adeo Galenū hoc nomine earundem figuras non depinxisse. Reijciendus itaque uenit Dioscorides, Theophrastus, Plinius, & quotquot herbarum descriptiones post se reliquerunt, quod præter fallacias posteritati nihil tradiderint. Quod tamen nemo unquam mentis compos dixisse deprehēditur, ut uel hoc uno argumento planum fiat, Montuum uel insanire, uel quod magis credibile est, desipere senectute. Quàm uero temere Galeno adscribat, quod illi nunquā in mentem uenit, notius est quàm ut refelli à me debeat, potissimū cum in Paradoxo id ipsum abunde fecerim. Non inficiamur tamen, plerasq; plantarū descriptiones esse tales, ut facile queant fallere: idēq; nullo alio nomine, quàm quod non omnia accidentia ad plenū completantur. Quæ uero singulas earundem notas accurate exprimunt, hæc tutæ & ab omni fallacia alienæ sunt, ut sanè omnibus picturis præferri merito debeant.

Sed instat Montuus, argumēta ab herbarum descriptionibus ducta, non semper uel hoc nomine ualida esse, quod in plantis etiam consimilis figuræ plura sint, specie nihilominus discrepantia: quod cum in multis palàm est, tum in Iberide herba patescit, quam Nasturcij folia habere scribit Dioscorides. Hæc ille. Gregia certe ratio, quis unquam ignorauit, multa esse in plantis genere etiam diuersis accidentia, quæ inter se nihil discrepent? Atq; hinc adeo fit, ut Dioscorides non raro dicat, hanc herbam illius habere folia, ut hoc in loco Iberida folia Nasturcij obtinere ait. Atqui nō sequitur, Iberis habet Nasturcij folia, igitur est Nasturcium. sunt enim aliæ quædā præter hanc notæ, quibus duæ hæc plantæ discernantur. Nunquā enim inuenies

Herbarū ab  
solutæ de-  
scriptiones  
minime fal-  
laces.



herbas duas, eiusdem etiam generis, tam similes, quin aliquo modo inter se differant. Argumento sunt duæ Anagallides: quæ si folia, caulem, fructum, radicemque species, unã ab altera discernere haud poteris. Vt cūq; autem in ijs communicent accidentibus, est tamē præter hæc unum quod eas ita absolute segregat, ut nemo non nisi cæcus sit, illas differre uideat, nempe florum color, qui in mascula puniceus, in foemina autem ceruleus est: id quod ex herbarum illarum picturis, quas Deo dante in studiosorum gratiam aliquando inuulgabimus, palàm cognoscetur.

*Herbarum  
formas interdū  
ex accidente  
immutari.*

Præterea non latet, herbarum formam interdum immutari posse, sed id ex accidente fit, Quod si uero satæ simpliciter, & nullo impediēte sua sponte prouenerint, natiuam formã seruare nemo non uidet. Sed istas minutias ac nullius momenti obiectiones, missas faciamus, & ad accidentis definitionem accedamus.

*Definitio  
accidentis.*

Porphyrius accidens in hunc modum finiens: Accidens est, quod adest & abest citra subiecti corruptionem: uel accidens est, quod accidit eidem inesse aut nō inesse: omnia accidentia tam separabilia quàm inseparabilia complexus est. Inseparabilia enim etsi ita hæreant in substantijs, ut natura separari inde nō queant, intellectu tamen & cogitatione ipsa separantur. Hinc est, quod alij dicant, has finitiones de accidentibus factas esse potestate, non actu: intelligentia, nō ueritate. In summa, quod dicitur adesse & abesse, nō re, sed antimo intelligendum est, ratio enim ipsa separat, & per ueritatem nō esse substantiæ partes accidentia. Proinde uerissime à nobis dictum est, quædã esse accidentia, quæ sæpe ita hærent in substantijs, ut re ipsa nunquã separantur: ut est calor in igne, duricijs in lapide. Recte igitur, & non indocte, ut Montuus nugatur, dialectici eiusmodi

eiusmodi accidentia Natiua nominant, quod scilicet *Accidentia*  
 ita subiecto insint, ut natura separari non possint. Sic *natiua.*  
 itaq; appellata, quod mutari nulla uí aut arte queant,  
 ijs utiq; nature legibus, non ut Montuus delirat, quod  
 natura insint, ut est albor in cygno, & nigricies in Aethiope,  
 hæc enim etsi perpetua sint, tamen mutari possunt.  
 Sic albi corui nasci possunt, medicatis ouis. Quare cum  
 inseparabilia accidentia bifariã ita nuncupentur,  
 aut quod difficulter, aut nullis nature legibus separentur  
 à suis substantijs, postrema tantum natiua diximus,  
 quæ Rodolphus Agricola, Germaniæ nostræ decus et ornamentum,  
 adiacentia natiua appellare uoluit. *Adiacentia*  
 Vt hinc euidentissimum sit, Montui totam hanc *natiua.*  
 Dialexin ex apertissimis mendacijs confutam & contextam  
 esse: quæ quisq; ex ijs quæ in Paradoxis nostris produximus,  
 sua sponte diluere poterit. Et nisi immensis inuidiæ  
 stimulis agitatus fuisset Montuus, putasset haud dubie  
 illum, tam absurda & incogitanter dicta protulisse.

## DIALEXEOS QVINTAE CONFVTATIO.

**Q**uam friuola sint, quamq; prorsus nihil ad institutum faciãt,  
 quæ hoc in loco profert Montuus, facile animaduertent,  
 qui ea quæ in Paradoxis scripsimus, expendere uoluerint.  
 Nã quid absurdius, quam dicere Dioscoridis testimonia  
 ideo esse in uniuersum irrita, quod plurib; in locis à Galeno  
 notatus sit: quasi uero necesse sit, eũ qui uno aut altero loco  
 aberrauit, perpetuo mendacem fore. Absurdissimũ uero ac  
 prorsus puerile, quod Dioscoridem hunc, qui nobis de materia  
 medica libros sex reliquit, Hippocratis libros deprauasse  
 asserit Montuus; quũ tamen constet, Dioscoridem  
*Plures Dioscorides.*



ridem illum Artemidori cognatū ab hoc nostro alium, & tempore priorem fuisse. Quare ueterē hanc, & omnium in ore tritam parœmiam, *δὲς παίδες οἱ γέγοντες*, non esse uanam Montuus confirmat. Cæterum quæ laus posset esse maior, quàm ubi Galenus inquit, tractatum de materia medicamentorum omnium perfectissime Dioscoridem confecisse: Si enim perfectissimi sunt eiusdē libri, nihil est quod illis recte adijci, neque quod in illis desiderari possit. Sed pudet ineptijs Montui prolixius respondere, utpote quas etiam puer penitus explodere posset.

Morinus, re  
ctius Morus  
appellabi-  
tur.  
Sorbonica  
larua.

Sideritidis autem herbæ succum non esse sanguinē Draconis, in Paradoxis nostris argumentis euidentissimis monstrauimus: quæ ueterator ille dissimulat, uidentium sese potius theologum quàm medicum exhibere uolens. Porro quod *μαγὸς κατὰ λόγον* & hæreticus, ah dicere uolui Morinus theologus, hereticorum censor, Paradoxorum librum Vulcano cōsecrauerit, nihil moror: ut qui laruas illas Sorbonicas, stolidissimos Sophistas, multis & doctis etiam in Gallia uiris temere obstrepentes, nihil pertimescam, fulminatq; illorum nihil ferientia animā, (Veioves enim non esse, perspectissimum est.) tanquā bruta imperterritus contemnam. Neq; diffido, quin Christianissimus rex Gallia, cuius nunc abutuntur potestate, pro sua immensa qua studiosos prosequitur humanitate, & in literas nō uulgari amore, aliquando in istos nebulones seuerissime animaduertet: quando illorū pestilentissimis consilijs fiat, ut cōplures & uitæ integritate, & eruditione conspicui uiri, præter omnem culpam miserrimè trucidentur.

Deniq; non ueretur Montuus quæstionem, quæ ferè totum orbem concutit, si dijs placet, post tot tantosq; uiros

uirōs uerē theologos dissoluere. Quod dum facit, ridendum se non Germanis tantum, sed suis etiam Gallicis pulchre exponit, Lutheranos operibus nec quicquid tribuere impudentissime blaterans. Quam enim iniuste hoc nomine illos accuset, libri eorum palam testantur. Quapropter omissis ijs Montui nugis, utpote à professione nostra alienis, ad reliquas eiusdem farinae Dialexeis diluendas festinemus.

## DIALEXEOS SEXTAE CONFUTATIO.

**H** Armel non esse cicutā, ut Conciliator alijque eius farinae autores tradunt, abunde satis in Paradoxis demonstrauius. Et in nostrā descendisse sententiam Montuum, uerba eius palam ferē declarant, ait enim: Forsan uerum est, uel saltem nō ociosum. Vnde non parum de Conciliatoris interpretatione iam dubitare Montuum, nemo non intelligit.

Non ignoramus, Cicutam interdum misceri medicamentis, quae deuorantur. Galenus enim lib. 7. Cap. 2. de Compo. medi. *κατὰ τόπους*, catapotia cum Cicutae decocto formare ex Antonij Musae sententia docet. Alexander Trallianus lib. 3. Cap. 34. & Ca. 36. ex semine Cicutae pastillos conficit. Aëtius quoque li. 11. Ca. 29. Asclepiade pastillum profert, cuius compositionē semen cicutae ingreditur. Verum id non fit, nisi ubi uel hemens dolor urget, quem eiusmodi medicamentis frigidis sedare cogimur. Sic etiā mandragorae semen exhibemus: sed quanto interdum cum uitae discrimine, nemo non nouit. Quare adhuc uerū est, neminem ex ueteribus solam Cicutam intra corpus exhibuisse: hac scilicet ratione, ut nihil mali data adferret. Quod uero interdum deuorandam ueteres praebuerūt, id summa

*Cicutā interdum medicamentis quae deuorantur misceri.*



cogente necessitate, ut diximus, fecerūt, in qua reliqua etiam uenena exhibere solent. His accedit, quod non solum, sed alijs quæ maliciã illius frangerent adiectis, propinandam esse duxerint. Nemo autem unquam medicamentis purgatorijs illam, quod sciam, permiscere uoluit. Galenus lib. 10. de Comp. med. secundũ locos, Cap. 3. semine cicutæ quidem utitur, sed nõ nisi in epithematis & malagmatis. Quid multa? Cicutæ usum nõ carere maximo discrimine, asseueramus; atq; hoc nomine illam ueteres intra corpus deuorandam, nisi in maxima necessitate & ultimo uitæ discrimine, non præbuisse.

Commentũ de duplici cicuta non accipimus, utpote quod à ratione ueterumq; scriptis alienissimum sit. Nec idoneum aliquem autorem, qui id tradat, proferre poterit Montuius. Eos enim quos citat, quales sint, omnes uerè docti perspectum habent.

Porrò Celsum lib. 5. Cap. 6. semen Rutæ inter ea quæ rodunt, commemorare non inficiamur. Verum cum alia etiam complura, ut est galla (nisi exultam intelligat) lentiscus, myrrha, & omphacium, quæ rosionis expertia sunt, inter ea quæ rodant connumeret, parum autoritati illius hoc in loco tribuendum erit. Et me Hercule, qui fieri posset, ut Cicuta, quæ summè frigida est, atque adeò letifera, ullam rodendí facultatem obtineret? Sed in re manifesta plurib; uerbis cū Montuo contendere, necesse non est. Per me itaque illi licebit, ut pro sua stoliditate barbaros ac nullius momenti autores eleuet, atq; adeò uere doctis strenue se ridendum præbeat. Nos contra studiosos monebimus, ut ijs cõtemp̃tis, optimos probatissimosq; scriptores sibi potius legendos proponant.

Cicuta ro-  
sionis ex-  
pers.

## DIALEXEOS SEPTIMAE CONFUTATIO.

**E**T ſi ſingula quę in hac Dialexi profert Montuus, ut reliqua ferę omnia, ſint prorfus Sophiſtica, & indigna ad quę respondeas: tamen quia ſemel nos illius ineptijs uelle respondere recepimus, perfunctorie eiufdem obiectiones diluemus. Fuſius enim ut id agamus minimę opus eſt, quod hoc ipſum in Paradoxis fecerimus.

Necq; etiam aliquis expectet à nobis, ut in Montuum uiciſſim prouerbia regeramus, in quibus ſanę citãdis impendio Græcus uideri cupit, utpote cui eadē Eraſmus, Germaniã noſtrã perpetuum ornãmētum, affatim ſuppeditet: aliã in producendis Græcis locis ex Galeno & Hippocrate, ut quos forte non legit, aut ſi legit nō intelligit, parcifſimus. Volo enim rixoſi illius conuiciatoris iniurias æquo ferre animo: quod perſpectũ habeam, quã iniquę ſint, omnes uere doctos cognoſcere. Ad primã itaq; obiectionem ueniamus.

Nuſquam Galenus, aut qui illum imitantur, aſſerre uolunt, ſimilitudinẽ cauſam eſſe attractionis. nam hac ratione ferrum traheret ferrum: abſinthium, abſinthium. eſt enim ferrum non tantum ſimile, uerum etiã idem ferro, ſicut etiam abſinthium abſinthio: ſed tantum hoc contēdunt, quod inter trahens & tractum ſit ſimilitudo quãdã. Ideoq; ut aliquid ſibi ſimile trahat, neceſſe eſt, ut primum trahendi illi inſit facultas: qua certe deſtituta, nunquam quicquã ſimillimũ etiam attrahet. Hac ratione ferrum, quia nullam inſitam habet trahendi facultatem, ferrum, quod ſibi tamen ſimile eſt, trahere non poteſt. Pari modo abrotanum non trahit abrotanum, quod ſimile eſt, quod nimirum trahendi facultate careat, Cnicus autem cartamus ue trahit

Eraſmus  
Roteroda.

De attra-  
ctione medi-  
camentorum  
purgantiũ.



*Similia quæ  
dicuntur.*

hit quidem humores, at non omnes: uerum eos duntaxat, qui cum eius substantiâ similitudinem quandam obtinent, nempe pituitosos. Trahi itaq; non nisi simile, non autem similitudinē causam tractionis, ut Montuus nos putare cōminiscitur, dicimus. Sunt itaq; similia multa, quæ eadem non sunt. Secundum enim qualitātē aliqua similia aut dissimilia, ut in Predicamentis tradit Aristoteles, non substantiam, dicuntur. ὁμοια δὲ ἢ ἰσὺς μόνως τὰς ποιότητας λέγεται. ὁμοιοι γὰρ ἕτερον ἕτερον οὐκ ἔστι, inquit, κατ' ἄλλο οὐδέγ, ἢ καθ' ἑαυτὸν ἐστίν. Nō est itaq; ut me Dialectices rudē putet Montuus, in qua perdiscenda ferē totum iuuentutis tempus triui. Atq; utinā in ἡς discēdis non tantum temporis, quod melioribus etiam rebus impartendū erat, absumpsissem. Sed ad institutum reuertamur. Vtcunq; igitur alterum alteri simile sit, nisi trahendī illis insit facultas, atq; unī quān alteri efficacior ac uehementior, tunc nunquam alterum trahet alterum.

Quod mihi moralis philosophiæ, utpote iuueni, imperitiā adscribit, nihil mirum. ea enim philosophiæ parte nemo magis Montuo, iam octogenario etiā, destitutus est. Quis enim unquā histrionem æque, utilium, cauillis tam scurrilibus ludere uidit? Quare cum eius philosophiæ cognitionē nullam prorsus habeat, non mirum, de me tam inhumaniter pronuciare.

*An actio à  
contrario  
fiat.*

Cæterum actionem à contrario fieri, simpliciter ad Montui modum loquendo, adhuc constanter negamus: sed dicimus, ea quæ agunt & patiūtur quodammodo similia, & quodammodo dissimilia esse. Nec enim aliter Aristoteles sentit: cuius uerba ex primo de Generatione & corruptione adscribemus, quæ sic habent: ἀνάγκη ἢ τὸ ποιούμ καὶ τὸ πάσχον τῷ γένει μὲν ὁμοιοι εἶν, καὶ ταυτὸ, τῷ δὲ εἶδει ἀνόμοιοι τὸ ἐναντιοι. Et iterum: ὥστε

ἢς τε ἀνάγκη πῶς μὲν εἶναι ταυτὰ, τότε ποιοῦν καὶ τὸ πάχον, πῶς δὲ ἕτερα καὶ ἀνόμοια ἀλλήλοις. ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ πάχον καὶ τὸ ποιοῦν τῶ μὲν γένει ταυτὰ καὶ ὁμοία, τῶ δ' εἶδει ἀνόμοια.

Quid multa: ut ab omnino simili nō sit actio, ita neq; ab omnino contrario: adeo ut Montuum non fideliter & apposite citasse Aristotelem euidentius sit, quā ut pluribus ostendi debeat. Ad Aristotelis itaque locum studiosos remitto, ut ipsi certo cognoscāt, quā furore & inuidiā insaniat Montuus. Partim itaque à contrario, partimq; simili actionem fieri non inficiamur. Esi autem nobiscū iam sentiat Montuus, ut ex uerbis eius palām colligitur, tamen fateri errorem iam octogenarius uerecundatur.

Quod attinet ad id quod diximus, attractionem alimentorum à simili, non contrario fieri: sciant studiosi, nos ex Galeni, imò omnium medicorum sententiā sic loqui uoluisse, qui passim toti nutrientis substantiæ cum tota nutriti natura cōmunionem aliquam, similitudinemq; esse tradunt. Quum enim nutriticis facultatis actio adsimulatio sit, teste Galeno li. 1. de Natur. facul. ut asimilentur, mutanturq; inter se aliqua, nisi societatem nonnullam cognationemq; in qualitatib; habeāt, fieri non potest. De alimento autem hic loquitur Galenus, quod proprie sic nominatur, tale autem est, quod iam nutrit, ut idem lib. 3. de Temp. testatur: & corpori adiungitur, nec amplius futurum est. Trifariam enim alimentum ex Hippocratis in libro περὶ τροφῆς sententiā, ut ibidem, et lib. 1. de Natur. facul. docet Galenus, dicitur: quod nutrit, quod ueluti nutrimentū, & quod nutriturum est. De primo itaq; loquimur, quod planè simile, & non contrarium nutrito existit. Alia autem duo, de quibus neq; Galenus neq; ego loquutus sum, cōtraria dici nutrito non aduersamur. Et de illo certe

Attractio  
alimentorū  
an à simili.

Alimentum  
proprie  
quid.



Philosophi  
quomō in-  
telligēdi dū  
contrarijs  
nos ali di-  
cunt.

philosophi intelligendi ueniunt, dum contrarijs nos  
ali scribunt: ut testantur ea, quæ lib. 1. de Anima, cap.  
16. Themistius in hunc scribit modum: Sux utriq; sen-  
tentix cōsentienter, nobis ratio media placet, utrunq;  
dici alimentum posse censemus, ita tamen, ut hoc cru-  
dum incōfectumq;, hoc concoctū dicatur. Ita euenit,  
ut parte aliqua utriq; recte uiderint. Quatenus enim  
rude crudumq; est, uerissimè dici potest, à cōtrarijs ali  
contraria. Contrà, quatenus pro confecto & uerso ac-  
cipitur, fateri necesse est, similia esse esui & cibo simili-  
bus. Hæc Themistius. Quare toto cœlo aberrauit  
Montuus, quod scholam medicam relinquens, philo-  
sophicam potius, neq; tamen genuinā, sed barbaram  
sectari uoluit: adeò ut ipsi quàm rectissime obtrudi  
possit, quod mihi mēdaciter obiecit, nempe illum Ari-  
stotelem ne pictū quidem uidisse, quod scilicet ex bar-  
barorum tantum cōmentarijs suam philosophiā hau-  
serit. Ego lingua sua mihi loquentem, & uideo & au-  
dio quotidie. Montuus huius potius interpretes, & in-  
sultos commentarios euoluit, id quod scripta eius pa-  
lām testantur. Sed ad Sophisticas obiectiones plura,  
quàm constituerimus, respondimus.

DIALEXEOS OCTAVAE CONFVTATIO.

**M**Uta esse à recentioribus Græcis prodita, quæ  
ueteres latuerunt, nunquā ignorauimus: eaq;  
dere in Apologia aduersus Puteanum complura retu-  
limus. Quare non erat cur pluribus id uerbis monstra-  
ret Montuus, cum potius illi docendum erat, quod li-  
chen herba, quam barbari Hepaticam nomināt, ieco-  
ri conferret, atque adeò recte sic à Plateario appellata  
esset. Sed solet passim, quæ ad rem nihil attinent, affer-  
re Montuus.

Cæterum

Cæterum lichenen herbam non prodesse iecinori, hinc satis constat, quod frigidã esse in confesso sit, atq; adeò facile obstructions in eo efficere possit. Sed in- stat Montuus, id ipsum minime, eo quod abstergendi quoq; facultatem obtineat, cõtingere posse. Cui ita re- sponsum uolo. Galenus quidem lichenen inter ea me- dicamenta recenset, quæ *ἐπιπλικά* Græcis, extergentia autem Latinis uocantur. Hęc uero eodem lib. 5. Cap. 11. Simpl. teste, in superficie tantum sordes auferunt. Hinc est, quod Dioscorides extrinsecus illitam liche- nen, regio morbo mederi dixerit. Qua nimirũ ratione palãm declarare uoluit, lichenen non ideo huic confer- re morbo, quod iecoris obstructionem, ex qua pluri- mum is nascitur, solueret: sed potius quod cutis fœdita- tem, ab eo genere morbi contractam, sua ui extergen- di abigeret. Ea enim medicamenta, quæ factu & ob- structione liberant, non *ἐπιπλικά*, sed *ἐκσφραγιστικά* & *ἐκ- κωσθητικά* Græcis, ut loco iam citato Galenus docet, dicuntur, ex quorum sanè numero lichenen esse, nemo ueterum aut probatissimorum autorum unquam asse- uerauit. Ita ut perspicuum sit, Montuum in priore lu- to hæerere: hoc est, contra omniũ tum ueterum, tum re- centiorum, eorumq; doctissimorũ medicorum senten- tiam, magno errore Platearij nugas tueri.

Nihil equidem mirum, Platearium hic deceptũ esse: quando in confesso sit, nostræ ætatis medicos in longe grauioribus, ob non satis cognitatas herbas, ac earun- dem facultates, uersari erroribus. Sic accidit, ut hodie adulterinis utantur Aristolochijs, neque enim longa, neque etiam rotunda, qua utuntur, ea est quam auto- res pingunt. Eodem errore ducti, lactucã syluestrem pro Endiuia, & aquaticam herbam quandam pro ge- nuino Eupatorio usurpant, ueluti suo loco perspicuè docebimus.

Lichen non  
prodest sim-  
pliciter lo-  
quendo iec-  
inori.



Quum itaque de facultatibus lichenes herbae, ex eiusdem qualitibus pronuntiandum erat Montuo, temere & præter rationem quas facultates rosa & alia, quæ commemorat, obtineant, hoc in loco in quaestionem uocat. Proinde quamuis parum in præsentia referat, quas uires apium, rhapsodicum, & reliqua quæ à Montuo recensentur habeant, breuiter tamen de ijs etiam differemus.

De Apij & Rhapsodici facultatibus, supra, & in Apologia aduersus Puteanum abunde dictum est, nihil itaque opus est illa denuo referre.

Galenum cognouisse in Rosis, recentibus potissimum, subducendi uentrem facultatem, ex ijs quæ scribit lib. 8. Simp. palam apparet. Ibidem enim ex aquea substantia calida, adstrictoria & amaræ mista, compositam esse scribit. Si igitur ex aquea substantia calida composita existit Rosa, nihil mirum si uentrem subducatur, neque enim alia ratione Pruna, ut idem testatur lib. 2. de Alimen. facult. aluum subducunt, quam humiditatis suæ gratia. Non solet itaque Galenus passim, ut temere somniat Montuus, particulares facultates herbarum nominatim percensere, sed ut plurimum qualitatum commemoratione tantum contentus est. Pistacia uentrem subducere nusquam scribit Galenus, uerum quia experientia nondum cognouerat, num id ipsum possent nec ne, nihil certi de hac re testari uoluit: ut qui antea pollicitus sit, sese nihil quod non ipse expertus sit, de simplicium medicamentorum facultatibus docere uelle.

De Hydrargyri facultatibus, idem dicendum uenit: à cuius usu lubens semper abstinuit, utpote supra modum noxius, Galenus. Atque utinam illius perniciosissimi ueneni hodie usus non tam frequens esset.

Galenus

Galenus deniq; non simpliciter, ut falsò illi adscribit Montuus, allium non excitare sitim: sed esse ex eorum ciborum genere, qui minime sitim inferant, scribit. Quibus sanè uerbis palàm innuit, se nò de crudo, sed in aqua decocto allio loqui. Quod enim crudū est, (ut idem testatur lib. 2. Cap. ult. de alimentis) nullam prorsus alendi corporis facultatem obtinet, atq; adeò in ciborum genere connumerari haud potest. Quo enim pacto aleret, quum ex eiusdem Galeni sententiã in excessu quarto calefaciat & exiccet? Cur autem decoctum allium in ciborū genere censeatur, nulla aliã causa est, quàm quod per decoctionē acrimonia eius, eodem Galeno teste, auferatur. Sed prestat eius uerba ex lib. de Alimē. ascribere. σκόροδον ἐψηθὲν μὲν τοι δὲς, ἢ ἢ τρις, ἀποτίθεται μὲν τῷ δριμύτι, ἀλεψήσῃ δ' ὁμοῦς ἔστι, καὶ τροφὴν βραχυτάτῃ δίδωσι τῷ σώματι. τίως δὲ οὐδ' ἄλλως ἐδίδω, πρὶν ἐψηθῆναι. Hoc est: Alliū bis aut ter in aqua decoctum, acrimoniam deponit: extenuat tamen adhuc, & paucissimum corpori alimentum prebet. Antea uero quàm decoqueretur, nullum prorsus dabat. Si igitur post secundam aut tertiam decoctionē non potest nisi modice alere corpus allium, euidentissimū omnibus esse puto, crudum prorsus nutrire nō posse. De eo itaq; in 12. The. meth. Galenus non loquutus est, sed potius de cocto: quod quia in alimentorum numero habetur, necesse est ut corpus humectet, atque adeò sitim nō faciat. Dioscorides uero, Plinius, & alij, cum sitim efficere tradunt, de crudo, & non cocto loquuntur: quod ob suam acrimoniã excitare sitim, experiētia etiã ipsa docet. Quare Montuo, non mihi, ueratro opus esset, ut mentis oculorum aciem expurgaret, quo intimius diuina Galeni scripta intueri & expendere posset. Sed uanum hoc meum uotum esse

Allium ut  
cibus nō ex  
citāt sitim.



intelligo, cum ignorantie immensisq; liuoris mucus ita animo eius infederint, ut ad hunc eximendum ne duæ aut tres quidem Anticyræ sufficere ualeant.

De Sericis in sequenti confutatione plura dicemus.

DIALEXEOS NONAE CONFUTATIO.

**D**E Ziziphis, quæ à Galeno Serica, ab Arabum uero schola, Iuiube nominantur, nihil præter ea quæ olim annotauit Montuius affert, quare cum illa in Paradoxis abunde confutata sint, non est quare nunc actum agamus. De hoc tamen mirari satis non possum, cur ad ea quæ ex Auicenna contra suam sententiam produximus, ne uerbum quidẽ responderit. Sed placuit ueteratori silere potius, quàm erroris insimulare Auicennam; ut hinc palàm se Montui, et sui similiũ hominum obstinata malicia prodat, qui certe nihil uerentur Galeno optimisq; alijs autoribus aperte, non tamen sine magna impudentia, contradicere: pessimis uero, hoc est Arabibus, eum certe honorem habent, ut ab illis ne quidem cum præfatione honoris dissentire uelint, putantes hac ratione auctoritatem eorum se conseruare illabefactatam posse. Verum quod tanto studio conantur efficere, nunquã, utcumq; sese macerent, assequentur. Quare cum ex Auicenna docuerimus, iuiubas non eas quas illi Rhazes, alijsq; nonnulli tribuunt facultates habere; Montui certe partes erant, eã Auicennæ opinionem argumentis conuellere. Cum itaque nihil tale præstiterit, sententiã nostra constans stabilisq; permanet: nempe Serica nullũ prorsus neq; ad tuendam ualerudinẽ, neque morbos profligandos usum habere. Quum uero non Arabes modo, uerum etiam posteriores aliquot Græci, nonnullum ijs usum

*Montuius cur  
ab Arabi-  
bus dissenti-  
re non au-  
det.*

usum esse in medicina tradant, id certe non de pomis, quæ tamen rectius bacce dicuntur; sed potius de folijs, radicibus, & corticibus arboris; baccas has proferentis, ut ex Plinio Valeriano, autore minime cõtennendo, ostendimus, intelligendum uenit.

Age uero, demus pomis etiam aliquẽ esse usum, eum tamen quem illi Mesue, et hunc pertinacius sectantes hodie medici adscribũt, minime habebunt; neq; enim attenuant humores, ut illi tradunt, sed eosdem potius incrassant. Id quod ex Aëtio satis liquet, qui zizipha in calore & humore temperata esse, atq; adeo sanguinis acrimoniã edomare tradit. Ideo magno errore receptum est ab ignaris medicis, ut in suo etiam examine simplicium Antonijus Musa scribit, quod omnib. thoracis decoctis Zizipha addant.

De myxorum, quæ Arabibus Sebesten appellatur, temperamento inter se non conueniunt autorum sententiæ. Auerroës enim calida, Auicenna temperata, haud dubie ex posteriorũ Græcorum Actuarij & Pseli sententiã, esse statuit. Paulus consimiles Pruno facultates habere tradit, ut sanè hoc nomine Galeno lib. 2. de Alimētis teste, frigida et humida esse necesse sit. Idẽ in facultatibus accidit. Arabes enim uentrem subducere, Plinius Valerianus cohibere tradit. Ego itaque cum uiderem discrepantes prædictorum autorum sententias, rem disputandam eruditis proponere uolui. neq; enim in aliũ usum à nobis conscripta sunt Paradoxa, quàm ut ueritas ipsa hac disceptandi ratione eruatur. Et placuit certe tum mihi Plinij, ut quem ferè omnia sua è Græcis transcripsisse intelligerẽ, magis quàm Arabum, quorum mihi nunquã non suspecta fuit doctrina, sequi sententiã. Hodie uero nihil pudet in Montui concedere sententiã, & Plinium de

*Iuibe nullã attenuandi uim obtinent.*

*De Sebesten autorũ sententiæ uariant.*

*Paradoxa quare conscripta.*

non



non maturis, aut certe (quod uerifimilius est) de antiquis supra modum & siccis locutum fuisse fateri. Idcirco non ideo, quod Montuus suis nos huc pertraxisset argumentis: leuiora enim sunt, quam ut hoc potuerint: sed quia uideo posteriores Græcos, de quorū scriptis cum Paradoxa cōscriberem nihil prorsus constabat, itidem docere, quod uentrē febricitātib, ciere queant.

Quod autem hos fructus non gustauerim, non alio factum est nomine, quam quod raro in Germaniam uirides, imò squalidi iā ac prorsus aridi deportati sint, & quòd in diuersitate tāta autorum uti illis noluerim. Proinde cum illorū usus semper displicuerit, factū est ut ex gustu etiā eorundem temperamentum inuestigare neglexerim.

## DIALEXEOS DECIMAE CONFUTATIO.

*Napellum  
nō esse Aconitum.*

**N**Apellum non esse Aconitum, in Paradoxis patlām confessi sumus, neq; hoc intellexisset Montuus, nisi id ipsum ex nostra confessione didicisset. In suis enim ad Symphorianum Campegium annotationibus, Napellum haud secus atq; nos Aconitum esse credidit. Cur autem Aconitum esse putauerim, non Pandectarum autor, ut falsò diuinauit Montuus, sed Leonicens in causa fuit, quē tum sequi placuit. Quare hoc in loco, ut aliàs ferè semper, in Montuo candorem requiro, ut qui probè nouerit, nunc me nō credere Napellum esse Aconitum.

Quod ad Plinij locum de Aconito attinet, non fati mirari possum de immēsa Montui malitia. Nam cum illi respondendum erat ad interpretationem meam, quam huic loco adhibueram: ipse nescio quæ stulta, et ad institutum nihil faciētia producit, nimirū, bonum uirum

uirum præstare debere ne mentiatur, & huic similia: quasi uero ipse Plinij uerba mihi aduersari confessus, in sententiã tamen perstiterim. Fateor sanè Plinij scribere, Aconitum potum in uino Scorpionum ictibus aduersari: at minime ad leucen delendam idem potum ualere cõcedo. Quæ quæso hæc est malicia, fateri quod uerum est, sic tamen ut nobis confessa ueritas nihil aduersetur: Controuersia enim scopus is fuit, quod Napellus potus nõ deleret albaras: Montuus Aconitum potum Scorpionum ictibus aduersari, ex Plinio obijcit, quid uero hoc ipsum sententiã nostrã officere possit non uideo: cum contendamus, ad leuces amolitionem neminẽ unquam Napellum, qui tamen Aconitum non est, in potu dedisse. Vt merito omnia quæ in nos torquere conatus est Montuus, in illum potius dici & possint, & merito etiam debeant.

Cætera quæ Montuus pducit, talia sunt, quæ quisq; ridere iuste queat. Nemo enim est qui nesciat, uenena interdum modica in quantitate, & cum ijs quæ maliciam eorum corrigunt sumpta nihil nocere; sed usum potius aliquem corporibus nostris præbere posse. Sed tamẽ necesse est, illa suis nominibus appellari, ut hinc intelligant omnes esse uenena: idq; potissimum, si toto genere, & nõ qualitate deleteria seu uenena fuerint. quale certe Aconitum est, quod Galeno lib. 6. de Simplic. med. facult. teste, *σικητικὸς ἢ διληθητικὸς*, hoc est putrefaciẽtis & uenenosæ facultatis est. Neq; tamen in uniuersum uerum est, omnia uenena in modica quantitate sumpta, nihil nocere homini: sed de ijs dimittaxat recte dicitur, Galeno lib. 3. Simpl. cap. 17. & 18. teste, quæ qualitate deleteria sunt. Quæ enim toto genere talia sunt, ea etiã, eodem Galeno cap. 21. eiusdem libri autore, si quãtitate minima sumantur, omnino tamen

Non omnia  
uenena in  
modica quã  
titate sum-  
pta nihil no-  
cent.



corrumpunt. Præstitisset itaq; hæc ipsa Montuum diffi-  
 genter discreuisse, ne miseris mortalibus cum suo nu-  
 mine Auicenna insperati interitus causa esset.

Paradoxa mea nunquam uehementer, ut mihi ob-  
 trudit Montuus, admiratus sum: quid tamen profue-  
 rint, nolo Montuus, ut qui inuidia mei planè flagrat,  
 decernat: iudicent potius ea de re boni & candidi uiri,  
 quibus ueritatis studiū magis quam Mōtuo cordi est.

Porro quàm uerum sit, quod toties mihi obijcit, me  
 uiros doctos, ex quibus nonnulla transcripserim, & in  
 usum meum transtulerim, sua laude defraudasse: sciūt  
 quotquot scripta nostra legerunt, ut quos haud dubie  
 non latet, quàm semper honorificam Leoniceni, Ma-  
 nardi, Briffoti, & aliorum mentionem admiscuerim.  
 Quod uero in singulis locis Paradoxorū, nomina il-  
 lorum non adhibuerim, nulla alia causa accidit, quàm  
 quod in Erratis diligenter hoc à me factum esset. Sed  
 puerilia ista missa faciamus.

#### DIALEXEOS VNDECIMAE CONFUTATIO.

De usu Can-  
 tharidum.

**N**on ignoramus, nonnullos uentribus Canthari-  
 dum, abiectis prorsus alis & pedibus, usos esse.  
 Sic autor libri quarti de Vict. acut. morborū, (quem  
 Hippocratem non esse, palàm Galenus innuit, Apho-  
 rismo 14.) Cantharides tres, abiectis pedibus & capi-  
 te & alis, in tribus aque cyathis tritos potui dados esse  
 tradit. Galenus etiam lib. 5. Cap. 7. *κατὰ τὸ πρῶτον* medi-  
 camentum excoriatorium lichenum, quo Pamphilus  
 medicus Romæ usus est, in quod Cantharidū uentres  
 ingrediuntur, commemorat. Arabes quoq; in uniuersum  
 ferè omnes, in Cantharidum usu caput atque alas  
 proijciendas

proijciendas esse docent. Contra alij, Dioscorides uidelicet, Galenus, & Plinius, quorum uerba in Paradoxis ea de re produximus, alas minime abijciendas esse, sed integras potius Cantharidas in medicamenta inijciendas esse contendunt. Quibus certe Aëtius quoque lib. 13. Cap. 49. subscribit, ijs uerbis: Cantharidibus haustis contrariæ affectionis ratione, quantum nihil aliud auxiliantur Cantharidum alæ & pedes, cum passo potata. Huic præter illud quod antea protulimus, hoc etiam Plinij ex lib. 11. Cap. 35. testimonium accedit, ibi enim sic ait: Venenum hoc remedia secum habet, alæ medentur, quibus demptis letale est. Quis itaque in tanta diuersitate sententiarum, hanc cantharidum exhibitionem non merito inter Paradoxa relata esse dicet? Nemo profecto, nisi qui Montuum imitatus, ueritatis inquisitioni, eiusmodi uelitationibus honestis & utilibus non esse studendum existimabit. Nobis tamen placuit Galeni amplecti sententiam, utpote tutiorem, & minus periculi ægrotantibus intentantem, quam & hodie sequimur.

Galenus sententia tutior.

Nunc ad Montui obiectiones breuiter respondebimus. Locum quem ex libro quarto de ratione uictus acutorum citat, prorsus nobis repudiare liceret: quandoquidem is liber ad Hippocratē, ut antea diximus, referri haud debeat. Verum cum in lib. *ἄφι γυναικῶν* *ἄφισι*, & alijs etiam in locis, pedes, alas, & caput abijcienda esse doceat, diligenti animaduersione opus erit, ut nimirum intelligamus quando prædicta abijcere, et quando minus expediat. Quum extrinsecus adhibentur Cantharides, ad scabros nimirum ungues, psoras, lepras, atque impetigines auferendas, tum corpora sola accipere in medicamenta oportet. Quum enim hæc ipsa, ut erodant atque adurant admisceantur, necesse est

De Cantharidum usu exteriori.



ut singula hæc quæ erosionem ac uersionem impedire possunt, ut sunt pedes & potissimum alæ, prorsus abijciantur. Hac ratione Aëtius & Galenus locis paulo ante citatis, alas & pedes abijcere docent.

De interiore usu Cantharidum.

Cæterū in interiore usu non conueniunt inter se auctores. Complures enim sunt, qui & alas & pedes amputandos esse tradant; neq; id quantum opinor alia ratione, quàm quod timebāt ne simul cum corpore mixta illius uenenum perimerent, atq; adeò minus efficax & inuolidum redderent. Atqui certe multo consultius est, ut parum erodant corpora, atque adeò uis illorum uenenosa nonnihil obtundatur, quàm ut ex integro facultatem suam magno cum periculo, imò non raro presenti ægrotantis interitu exerāt. Hinc euidentissimū est, mixturā totorum cantharidum, in interiore potissimū usu, iuxta Galeni sententiam esse minoris periculi. Si enim integrè exhibeātur, tum non indigent ijs quæ uim illarum corrigant, cum secū habeant, quæ ueneno mederi possint. Quare si etiam ea ab imperitis, minimeq; curiosis medicis negligātur, quæ corrigere noxam corporum possunt, tamen integræ hauritæ minoris periculi erunt. Iam itaq; uideat, quàm præter omne meritum me cauillatorem Montuus, ipse cauillatorum omnium maximus, appellet; cum nihil aliud hoc Paradoxo, quàm ut parum eruditus, aut non admodum curiosus medicis, temereq; omnia adhibentibus consulerem, quæsuerim, Deus enim nouit, quod uanæ gloriæ aucupandæ, aut popularis auræ emendandæ studio ista non diuulgauerim, ut sæpe mihi mendaciter impingit Montuus, sed studiosos iuuandi tantum gratia.

DIALE-

## DIALEXEOS DVODECIMAE CONFVTATIO.

**D**Vplicem esse Mumiam Arabibus, in Paradoxo abunde monstrauimus. Alia enim est Serapionis & Auicennæ, alia autem Rhazis, priorem naturalem & uerã esse, Græcisq; *πρωτόσφαλλον* uocari: alteram quæ factitia est, atq; adeò non uera, ex aloë, myrrha, & id genus alijs, si res rectè cedat, cum pinguedine humana compositam esse diximus. Quare iniuria nos afficit summa Montuus, eo quod asserit nos statuere omnem mumiam, nisi de uera loquatur, esse Pissasphaltum. Non ueram, atq; adeò Rhazis mumiam, ut uerum ingenue fatear, nõ magnifacio, quod timor sit, raro genuinã ad nos peruenire: & citra etiam magnum dispendium carere illa possumus. Quid uero proprie sit mumia Rhazis, & quod duplex sit, affatim in suo Examine simplicium tradit eruditione insignis uir Antonius Musa, adeò ut nihil opus sit hæc de nouo hic referre.

Duplex mu-  
mia Arabũ.

Quod Euritius Cordus, homo ob singularem eruditionem & mirificam in disquirẽdis simplicibus medicamentis diligentiam longiore uita dignus, nobiscũ sentit, honorificum esse puto. Neque etiam uitio nobis uertere posset Montuus, si nonnulla ex illius Botanologico in usum meũ transtulisset: cum id ipsum, ut alibi indicauĩ, multorum bonorum & doctissimorum uirorum exemplo facere licuisset. Sed dispeream, si non de Mumia constiterint hæc nobis, antequam is Cordilibellus in publicum prodiret, atque adeò à nobis uisus esset. Gauisus autem sum mirifice, postquam intrulgatus est, quod haberem illum sententiæ meæ subscribentem. Cæterum si furta sunt singula ea, quæ

Euritius  
Cordus.



antea ab alijs dicta sunt, fateor certe omnia mea scripta esse furta: cum nihil prorsus dixerim, quod antea à probatissimis autoribus non sit dictum. Et miror sane uehemēter, cur Montuo hoc Comici dictum non occurrat: Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius. proinde quanto plura furta indicauerit Montuus, tanto magis nostra roborabit. Hac enim ratione omnibus innotescet, me non temere & ex mea, ut dicitur, officina hæc quæ scribo deprompsisse: sed huius mea sententiæ non ueteres tantum, sed etiam

recentiores non pœnitēdæ eruditionis medi-

cos autores habere. Sed hæc obiter

ad fatras Montui libri primi

Dialexeis, respon-

disse fat sit.

FINIS CONFUTATIONVM

Libri primi Dialexeon.

DIALEXEON

# DIÁLEXEON SECVNDI

LIBRI CONFVTATIONES.

## DIÁLEXEOS PRIMAE CONFVTATIO.



**I**X VNA hac Diálexei abunde omnib. constare potest, Montuum uel Græcæ linguæ non admodum esse peritū, uel saltem negligenter aut nunquam Gale num sua loquentem lingua legere. Si enim uel obiter tantū ad hunc respexisset, facile quàm puerilia & erronea essent hæc, quæ de plenitudine blaterat, intellexisset. Neq; enim ut hic putat, Latinorum forte interpretum innixus autoritatī, repletio cum plenitudine confundenda erit: cum illa generis, hæc uero speciei rationem habeat. Quibus accedit, quod una quæuis harum dictionum græcam habeat uocem peculiarem, quæ illi respondeat: id quod ex locis à Montuo contra nos citatis, nec tamen intellectis, palam euincemus.

Primus itaq; locus, quo idem significare repletionē & plenitudinem ostendere contendit Montuus, ex secundo Aphorismorum libro, Cōmentario 17. proferitur ijs uerbis: Repletio siue plenitudo est, plus humoris uel cibi, quàm modo naturæ conueniat. Atque id quod plus est, semper ad aliquid dicitur. Verū in corporibus nostris duplex est unum, quantū ad uasorum capacitatem: alterum, quantum ad illam quæ nos gubernat naturā. Hæc Montuus. In quibus certe citandis uerbis, primū interpretem sequutus peccat, quòd cibi abundantiam repletionem & plenitudinē uocat, cum tamen ea non sit Græcis  $\pi\lambda\upsilon\sigma$ , sed potius  $\mu\omicron\nu\eta$ .



μονή, ut ex Galeni uerbis satis constabit, quæ huiusmo-  
di sunt, ἢ γὰρ πλείων τροφή τ' τοῦ σώματος φύσεως, ὀνόμαζέ  
ται πλοσμονή. Quorum sanè uerborum Galeni is sen-  
sus est: Plus enim cibi, quàm modo nature conueniat,  
fatietas nominatur, sic enim uertendum est, & non re-  
pletio, ut interpres cōuertit. Quem miror hoc loco sic  
uoluisse uertere πλοσμονήν, cum tamen in eodem Hip-  
pocratis lib. Aphor. 4. ubi sic habet Hippocrates, ὅτι  
πλοσμονή, ὅτι λιμός, &c. recte ita interpretatus sit, Nō sa-

Locus in Pa-  
radoxis e-  
mendādus.

tietas, nō fames. Quod ideo cōmemorare uolui, ut stu-  
diosi locū in Paradoxis nostris per typographū depra-  
uatum, emēdare possint. In capite enim 2. lib. 2. sic scri-  
ptum est: quam Galenus πλῆθος καὶ πλεθώραν nomi-  
nat, ut sit potius idem cum eo quod πλοσμονή Hippo-  
crati, & Galeno πλεονεξία dicitur. Expungendæ au-  
tem tres dictiones, quæ in margine notatæ, temere in  
contextum raptæ sunt: πλοσμονή Hippocrati & atq;  
legendum erit hūc in modum, Cum eo quod Galeno

πλοσμονή.

πλεονεξία dicitur. Neq; enim πλοσμονή tam generale uo-  
cabulum, quàm πλεονεξία est: sed duntaxat ciborum sa-  
tietatem, ut ex Galeni uerbis iam citatis planum feci-  
mus, significat: quemadmodum πλῆθος καὶ πλεθώρα,

πλῆθος.

humorum. Errat itaq; toto cælo Montuus, quod re-  
pletionem siue abundantiam cum plenitudine temere  
confundit: quod hæc speciei, illa uero generis, ut in se-  
quentibus palàm ostendemus, rationem habeat. Hinc  
est quod etiam Græci peculiarib; uocibus utranq; effe-  
rant, hanc in cibis quidem πλοσμονήν, in humoribus  
πλῆθος καὶ πλεθώραν, ut iam diximus, illam uero πλε-  
ονεξίαν nominātes. Vnde iterum alius se Montui error  
prodit, is nimirum, quod cibi abundantiam plenitudi-  
nem nominat: cum tamen Latini interpretes dictionē  
plenitudinem, & πλοσμονήν, de abundantia humorū:

perinde

perinde atq; satietatem & πλησμονὴν de ciborum copia enunciant.

His cognitīs, facile quæ ex Galeno producit intelligi possunt. Concedimus enim, satietatem esse duplicem, unam ad uasa, alterā ad uirtutem. Fatemur etiā, duplicem esse plenitudinē, unam ad uasa, alteram ad uires. At negamus, idem significare repletionē & plenitudinem, seu ut Græcè dicam, πλησμονήν, πλήθῃ, καὶ πλεονεξίαν; cum hoc genus, illa uero species sint, ut iam ostendimus, & in progressu confutationis fulius docebimus.

Porro plenitudinem ad uires non prædicari de caco chymia, ut non sine manifesto errore docet Montuus, unus certe Galenus palam ostendit, qui in libro de Plenitudine sic scriptum reliquit: μόνη εἶποτε πλεονάσσει ἢ ὠχρὰ καὶ ξανθὴ προσαγορευομένη χολή, καθάπερ γὰρ ἰκτερικῶς, οὐκ ἐστὶ πλήθῃ, οὐδὲ πληθωρικὴ διάθεσις, ἀλλὰ κακοχυμία τὸ τοιοῦτον δὲ πάθημα. καὶ ταῦτα δὲ ἐπὶ Ριμελαινῆς χολῆς, καὶ τοῦ φλέγματός, id est: Si quando sola pallida & flaua nominata bilis superauerit, ut in ijs qui regio morbo laborant, neq; plenitudo, neq; plethorica dispositio, sed Caco chymia huiusmodi pathema est. Hoc pacto etiam in atra bile & pituita. Et paulo post, in eodem libro Galenus ita scribit: ἀλλ' οὐ νυνὶ κείρως ὑπὲρ τῶν ταῖς κακοχυμίας διαφέρουσιν διαφορᾶς, ὅτι μὴ δὲ πλήθῃ εἶπον ὀνομάσειεν αὐτάς. Verum eorum uerborum sententiā Latine etiam, in gratiā eorum qui Græca non assequuntur, adscribemus: Atqui de Caco chymias differentijs, quod nec plenitudinē eas uocare liceat, differere nunc tempus nō est. Et rursus eodem in loco, ubi sic tradit: Ἐ μὲν οὖν αἷμα παμπόλλῳ ὑπεροχῆν δυνάσκει λαβεῖν γὰρ ταῖς πληθωρικαῖς διαθέσεσι, τῶν ἄλλων χυμῶν οὐδεὶς κακοχυμία γὰρ ἴσθι τόγε τοιοῦτον, οὐκ ἐστὶ πλήθῃ, οὐδὲ πλη-

Caco chymia non est plenitudo ad uires.



θώρα καλεῖται, quod est: Igitur sanguis in plethoricis dispositionibus uehemēter potest præcellere, aliorum uero humorū nullus. Etenim Cacochymia nunc huiusmodi, neque plenitudo, neq; plethora uocatur. Ex quibus uerbis sole clarius fit, Cacochymiam ex Galeni sententiā plenitudinem appellari non posse. Quare autem plenitudinis nomine Cacochymia uocari non queat, Galenus etiā in eo libro quem de Plenitudine inscripsit, ijs uerbis indicat: μόνη χολή τῶν ἀχωρίστων τοῦ πλείθους συμπτώματ' οὐδ' ἕτερον ἐργάσαδις διαταται, οὐδ' οὐδ' τῶν ὀγκοῶν, οὐτε τ' βίβ' &c. id est: Sola bilis nullum plenitudinis inseparabile symptoma efficere ualet, neque certe tumorem, neq; grauitatem. Quid multa: Plenitudo omnium humorū est abundantia: Cacochymia autem unius duntaxat, hinc est quod unum de altero enunciari haud possit. Quum itaq; plenitudinis tanq̄ generis appellatio Cacochymiae non competat, multo minus plenitudinis ad uirtutem tanq̄ speciei competere ualet. Ita ut puer etiam iam intelligat, quā tūpiter hic hallucinetur Montuus.

Post hęc multa inutiliter cōmemorans Montuus, ex ijs tandem infert, me primo errare, quod repletionem à plenitudine, tanquā hęc species sit, illa uero genus, differre faciam: quum eadem, & non diuersa Galeno res, repletio & plenitudo sit. Sed uideamus, quā iniquus non mihi tantum, uerum etiam Galeno sit. Si enim eadem res est repletio seu abundantia & plenitudo, tum necesse est fateatur, Galenū idem per seipsum definisse: quod certe de eo qui Dialectices peritissimus fuit, suspicari piaculum est. Sic enim in libro iam saepius citato plenitudinem definit. Plenitudo est humorum in animantis corpore abundantia. Quod certe iuxta sententiā Montui idem esset, ac si diceret: plenitudo

plenitudo  
quid.

nitudo est humorum in animantis corpore plenitudo. Sed si recte expendisset Montuus, in qua significatione ego hac dictione Repletio usus fuisset, nunquam tam absurda proferre uoluisset. Scripsimus enim aperte in Paradoxis, repletionem hoc in loco magis generatim inaudiendam esse, quam ut cum plenitudine coincidere possit, ut nimirum idem significet cum eo, quod Galeno *πλεονεξία*, Latinis autem abundantia dicitur. Vel ut paucis expediā, ut repletio seu abundantia sit genus, plenitudo autē species. Quod uero abundantia seu *πλεονεξία* sit genus, plenitudo autem siue *πλήθος* species, ex ijs Galeni uerbis quibus plenitudinem definit, euidentissimū sit. *πλήθος ἢ πλεονεξία ἐστὶ τῶν κατ' ὄλον τῶ σῶμα τοῦ ζῶον χυμῶν.* hoc est: Plenitudo est humorum in uniuerso animalis corpore abundantia. Vbi nemo non nisi talpa cæcior sit, uidet abundantiam seu repletionem esse genus, plenitudinē uero speciem. Quare cum repletionis uocabulo pro *πλεονεξία* usus sim, idē ut facerem recentiores quidam medici coegerunt, quos Cacochymiam unanimi consensu inter repletionis species connumerare uidebam, falsò asserit Montuus idem cum plenitudine significare. Quod si uero repletio idem sibi significat quod Græcis *πλήθος*, tum certe de nomine nobis tantum contentio est. Ut itaq; omnis ambiguitas euitari possit, sciant studiosi, nos deinceps *πλήθος* latine plenitudinem, multitudinem uel uelle interpretari, *πλησμονή* satietatem, *πλεονεξία* autem abundantiam. Per me autē licebit, ut quispiā etiam *πλήθος* repletionē appellet, modo Cacochymiam hac ratione repletionem non esse, inq; Paradoxis nos hoc uocabulo aliter magisq; generatim usos esse sciat.

Ceterum in erratis dum nullus nobis esset Græcus Galenus, repletionem ad uasa in plethoram & Caco-

*πλεονεξία* genus  
*πλήθος* uero species.



chymiam difsecuimus: sed ubi paulo post cum Galeni placitis pugnare animaduertemus, locum in Paradoxis emendauimus. Quare decuit Montuum, ut potius ea quæ in Paradoxis, quàm quæ in Erratis scripsimus proferret: quod constaret illi, nos quædam illuc, utpote posterioribus, immutasse: sed calumniandi ansam ubicunq; potuit, arripuit.

Tertio nos reprehendit Montuus, quod abundantiam repletionem ue quantitatis in plethoram & cacochymiam secuimus: quãdo utraq; cum quãtitatis tum qualitatis repletio ad plenitudinẽ, quæ ad uasa comparatur, referenda sit. Qua autem eruditione id fecerit, facile ex ijs quæ antea dicta sunt, colligi potest. Neque enim omnis repletio seu abundantia in quantitate est plenitudo, tantum abest ut ad uasa dici queat. Nam cacochymia est abundantia in quantitate, non tamen est plenitudo, Plenitudinem uero non esse, iam abunde monstrauius. Esse autem abundantiam in quantitate, uel definitio cacochymiaẽ palàm docet, quæ talis est, quemadmodum 13. The. method. tradit Galenus: *ἄταρ ἢ δὲ ξανθὸς χολῆς ἢ μέλανος, ἢ φλέγματ<sup>ο</sup>, ἢ τῶν ὀφθαλμῶν ὑγρῶν μεσὸν γένηται τὸ σῶμα, κακοχυμίας καλοῦσι τῶν τοιαντῶν διάδοσις.* Quibus sanè uerbis Galenus aperte innuit, in Cacochymia copiam seu quantitatem humoris augeri, ut non possit non dici hoc nomine abundantia in quantitate. At in re omnib, perspicua nolo uerbosior esse. Cum itaque tam in plenitudine quàm in Cacochymia humorum quantitas augeatur, recte utraq; abundantia in quãtitate à nobis dicta est.

Quid uero magis puerile, quàm abundantia in qualitate dicere plenitudinem cum adiectione: cum plenitudo ad humores, abundantia autẽ in qualitate ad nudas qualitates referatur. Nam cum dico, qualitas bilis aucta

*Non omnis  
abundantia  
in quãtitate  
est plenitu-  
do.*

*Cacochy-  
mia est abũ-  
dantia in  
quantitate.*

*Abundãtia  
in qualitate  
nõ est pleni-  
tudo cũ ad-  
iectione.*

auēta est: non aliud dico, nisi bilis plus æquo calidior, atq; adeo tenuior etiam facta est. Nisi enim ita statueremus, nulli prorsus erunt morbi, qui in sola qualitatum intemperie consistunt: quod est planè cōtra Galeni in lib. de Diff. morb. alijsq; complurib. locis, adde omnium etiam medicorū sententiam. Quod uero Galenus eum qualitatum excessum inter *πλεονεξίας*, hoc est abundantiaē seu repletionis species cōnumeret, palàm declarant ea, quæ lib. 8. The. meth. Cap. 1. in hunc modum scribit. *ὅτι δ' ἡ ἀμετρία τῶν πυρεπτόνων δυσκράσιος γὰρ πλεονεξία θερμότητος*. quod est: Excessus intemperiei febricitantium in caloris abundantia consistit. In quibus siquidem uerbis intemperiei excessum manifestissime *πλεονεξία*, hoc est abundantiam uel repletionem nominauit. Quare prorsus insanire hoc loco Montuum est euidētissimū, qui ad humores referre audet magna ignorantiaē suæ proditiōe, quod ad nudas duntaxat qualitates referri debet.

Ex ijs iam patet, recte nos taxasse iuniores medicos, qui cacochymiaē, quæ certe in quantitate est abundantia, ut monstratum est, ad repletionem in qualitate referunt: hallucinariq; impendio Montuum, quod Galenum per qualitatis repletionē cacochymiam indicare scribat: quando hæc humoris, illa uero qualitatis solius sit abundantia. Quod uero Galenus lib. 2. de Cōpo. medi. *ἢ τὸ πῶς* dixit: *εἰ δὲ μᾶλλον ποιότητις, καθαρτικῶν χηρσόμεθα φαρμάκων*. quod est: Si qualitas magis inualuerit, purgatorio pharmaco utemur, qualitatis uoce in alia usus est significatione, in ea nimirū, in qua etiam lib. 1. Aph. Cōm. 2. utitur, ubi nimirū de qualitate humorum euacuandorū agit. Ibi enim qualitas idem ualeat, quod humor qualis euacuandus est, id quod ex Galeni uerbis satis liquet, dum ait: Sermo quidem nunc




ipse est de qualitate eorum quæ euacuantur, hoc est de humoribus quales uacuandi sunt. Vbi itaque de qualitate eorum quæ uacuantur agitur, tum maxime considerandum qualis humor uacuandus sit, ne scilicet pro uno omnes, aut unus pro altero uacuetur, uerbi gratia, ne bile flava abundante & molestante, pituitam uacuemus, & contrâ.

*Abundantia  
qualitatis  
per sola alterantia  
curatur.*

Vnde iterum recte nos docuisse consequitur, abundantiam in qualitate per sola alterantia curandâ esse, cum in ea solius qualitatis excessus sit, quæ non eget nisi ijs quæ illum supprimunt. De Cacochymia autem nunquã ignorauimus, quod purgatorijs medicamentis sananda esset: idẽ manifestis etiam uerbis in Erratis medicorum docuimus. Quare & hoc loco parcere chartis potuisset Montuus, neque enim opus erat ut pluribus uerbis probaret, Cacochymiam curandam esse euacuatione, quum idipsam nunquam negauerimus.

Reliqua quæ producit Montuus, non merentur responsionem, si enim fatua nostra sunt Paradoxa, maximus sit fatuus Montuus, qui in ijs conuellendis tantum operæ locare uoluit, necesse erit. Nos potius hic in studiosorum gratiam species abundantia (libet enim hoc nunc uti nomine pro repletione, qua cõfuse interpretes utuntur, iam *πλῆθος*, iam uero *πλεονεξία* per eam interpretâtes) quasi in tabulam quandam digestas recensebimus, in hunc planè qui sequitur modum:



## DIALEXEOS SECUNDAE CONFUTATIO.

**M**Orbum Gallicum, quem alij Hispanicum no-  
 minant, nouū esse morbum, omniq; æuo prio-  
 re incognitum, multi eruditissimi uiri, quibus ne ma-  
 tulam quidem porrigere Montuus dignus esset, nobi-  
 scum sentiunt. Si enim nouus non est, rogo nobis ali-  
 quem ex ueteribus proferat, qui illum descriperit, &  
 suis notis posteritati indicauerit. Neque enim fieri po-  
 tuit, si unquam antea homines is morbus utpote fauif-  
 finus infestauit, quin diligentissime illum uel historie  
 scriptores, uel medici saltem literis mandauerint. Sed  
 producit hic Montuus Hippocratis ex lib. 3. Epide. te-  
 stimonium, qui ferè similem morbo Gallico affectum ijs  
 uerbis describit: Plerisq; itaq; horum in suppurationes  
 abscessus conciderunt, carniūq; & ossium neruo-  
 rumq; multum decidit. Erat autem illa fluxio, quæ illic  
 constitit, non ad similes puri: sed quædam alia putre-  
 do, ipsaq; fluxio multa & uaria. Quibus ergo in capi-  
 te quid illorum fieri contigit, his caput totū glabresce-  
 bat, mentumq; ac ossa denudabantur, decidebantq;  
 multæ

Morbus  
 Gallicus, no-  
 uus mor-  
 bus.

“  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “  
 “



„ multæ fuerunt fluxiones. Hæc quidem cum febribus,  
 „ aliquando etiam sine febribus. Erant autē hæc formi-  
 „ dabiliora & deteriora. Hactenus Hippocratis uerba  
 recensuimus: in quibus quidem similem, ut metipse fa-  
 tetur Montuus, at non eundem describit morbū. Etsi  
 enim aliqua hic connumerentur, quæ itidem in Gal-  
 lico morbo appareant: tamen ea quæ in hoc præcipua  
 sunt, omittuntur. Ex multis autem unum aut alterum  
 saltem recensebo, immēsum scilicet artuum dolorem,  
 qui certe etsi interdum mitior sit, tamen ut plurimū ita  
 fauit, ut mors quæcunq; preferenda sit, quàm hac lue  
 diutius torqueri. Pustulæ deniq; etsi in pube et alijs par-  
 tib. pilo cōtectis erumpant, tamē eas partes nō statim  
 pilis denudant. Quid multa? expendatur tota morbi  
 Gallici forma atq; foeditas, quā elegātissime atq; exquisi-  
 sitissime descripsit Vlricus Huttenus, germanus nobi-  
 litate & eruditione insignis, tum certo constabit nouū  
 esse morbū. Quod ut plurib. ostendam, minime opus  
 erit, quando id ipsum ante nos abunde in suis Episto-  
 lis fecerit Manardus, & parum certe refert, nouū quis  
 an ueterem morbum dicat: modo qualis, undeq; pro-  
 genitus sit, non ignoret.

Huttenus.

Reliqua ad eorū quæ in Paradoxis diximus cōfuta-  
 tionem nihil faciunt, quare non est cur quicq; ad ea re-  
 spondeamus. Neque enim consiliū est, in ijs omnibus  
 Montui nugis diluendis multum operæ & temporis  
 perdere.

#### DIALEXEOS TERTIAE CONFUTATIO.

Græci me-  
 dici lepra  
 uoce aliter  
 usi quàm  
 Arabes.

Quæ in hac Dialexi profert Montuus, ut ferè in  
 omnib. alijs, sunt planè ἀπεροδ' ἰόντων & ἀμύων.  
 Quū enim nos aperte in Paradoxis dixerimus, leprā  
 aliter apud Arabes medicos, aliter apud Græcos acci-  
 pi,

pi, atque adeò diuerſam eſſe Græcorum medicorum lepram ab Arabum lepra: ipſe quid Hebræi, aliique non ex profeſſo medici hoc nomine ſignificauerint oſtendere conatur, cum tamẽ idipſum nemo ab eo requireret: ſed potius ut doceret, Græcos eodẽ, quo Arabes medicos modo, lepræ uoce uſos eſſe. Eſti autẽ hoc ipſum in prioris annotationis ſuæ confutatione obiecerimus, tamen impoſtor ille, ut habeat anſam perden di bonas chartas, hoc ipſum pulchrẽ diſſimulat. Proinde cum ab eo producta nihil nobis aduerſentur, aut ſi etiam aliqua ex parte nobiſcũ pugnant, tamen cum ita ſint in Paradoxis exploſa, ut ne unum uerbũ quod ſententiã noſtram euerteret, contrà proferre potuerit, nõ eſt cur diutius in ijs diluendis temere immoremur.

DIALEXEOS QVARTAE CONFVTATIO.

**E**Tſi Galenum nullam in morbis cauſam ſtatuerẽ coniuñctam maniſteſtiſſimum ſit, ijs potiſſimum qui ſcripta illius diligenter euoluunt, ita ut ea de re uerba facere quaſi ſuperuacaneum ſit: tamẽ ne Montuus friuolis ſuis & nullius momenti argumẽtis nos uiciſſe ſibi perſuadeat, paucis ad ea respondebimus.

Galeno nullam in morbis eſt cauſa coniuñcta.

Primum itaque omniũ conſtanter negamus, cauſam internam à Galeno diuidi in Antecedentem & Coniuñctam. Neque enim illa cauſa, inter quam & morbu nullæ interiacet cauſæ, ut Mõtuus garrit, cõiuñcta Galeno, ſed præcedens ſiue antecedẽs appellat, ueluti ex eius uerbis quæ ca. 88. artis medicinalis habent, euidẽtiſſimũ ſit, ubi inter alia ſic inquit: τὸ μὲν γὰρ ἡδὴ γεγονὸς μὲν τὸ ἐν τῷ σώματι νόσον ἰατῆς γὰρ. τὸ δὲ ἔπω μὲν οὖσαν, ἐσομένην δὲ τῷ ἔτι τὸ σῶμα διαβέσσει κωλύσαι γενέσθαι. τὸ γινόμενης ἢ τὸ μὲν ἡδὴ γεγονὸς ἰατῆς, τὸ γενησομένην δὲ κωλύσαι γενέσθαι, κωλυθῆσθαι ἢ τῆς διαβέσεως, ἐφ' ἧ γίνεσθαι πέφυκεν ἀναριθροσεως.

Cauſa interna nõ diuiditur in antecedentem & coniuñctam.



ἀναρπιδέσεως, ὀνομάζεται ἡ ἠτοιανύτη διάθεσις, αἰτία προσημα-  
 μῶν. γεγονῆα ἡ νόσος ἢ δὴν θεραπευθήσεται ἢ διαδέσεως, ἢ φ  
 ἢς πρώτης ἢ ἢ φύσιν ἐνεργεῖα βλάπεται λυθῆσης, ὅπρ δὴ  
 καὶ φαμὸν αὐτῶν ἐν φη νόσου τῶν οὐσίαν. Quæ uerba recte  
 in eum modū interpretatus est Leonicensus: Iam enim  
 factum atq; existentē morbum curare oportet: sed qui  
 nondum quidem est, at futurus est, eum ne fiat, ab illo  
 qui in corpore est affectu prohibere conuenit. Eius au-  
 tem qui adhuc sit, quod quidem factū est curare: quod  
 autem futurum est, ne fiat prohibere oportet. Prohi-  
 bebatur autem sublato affectu, à quo fieri consueuit.  
 Talis uero affectus causa præcedens, siue antecedens  
 nominatur. Factus uero iam morbus curabitur solu-  
 to eo affectu, à quo primum ea quæ secundum naturā  
 est actio læditur, quem quidem & ipsum morbi essen-  
 tiam dicimus esse. In quibus utiq; uerbis Galenus di-  
 fert quid causam antecedentem, quidq; morbum ap-  
 pellet, exponit. Eum enim affectū, à quo fit morbus,  
 qui nihil aliud est nisi affectus à quo primum læditur  
 actio, Galeno lib. 1. & 2. The. meth. et lib. de Diff. sym-  
 pto. teste, causam uocat antecedentē. Igitur inter mor-  
 bum et causam præcedentē antecedentem ue nihil est,  
 quod interueniat, quemadmodum abunde hæc Gale-  
 ni uerba ex lib. de Diff. Symp. de prompta declarant:  
 ἐπειδὴ τὸ νόσημα διάθεσις τις καὶ παρὰ φύσιν, τῶν ἐνεργεῖαν  
 βλάπτουσα, τὸ νόσου δὲ αὐτῆς γινώσκειται τινα προηγῆσθαι διά-  
 θεσιν ἐτέρων, ἢ παρὰ φύσιν ἢ καὶ τανύτω, οὐ μὲν κατάγει τὸν καινὸν  
 τῆς λόγου βλάπτουσα, τῆς ἐνεργεῖαν, ἀλλὰ διὰ μέσου τοῦ νοσή-  
 ματος, τῶν τοιανύτων διαθεσιν ὅν νόσημα καλέσομεν, ἀλλ'  
 αἰτίαν προηγμένην νόσηματος. quod est: Quū morbus  
 affectus quidam sit præter naturā uitians actionē, fie-  
 riq; possit, ut morbum ipsum alter præcedat affectus,  
 qui & ipse quidem sit præter naturā, nec tamen per se  
 suapte ue

Causa ante-  
 cedēs, Mor-  
 bus.

suapte ueratione, sed interueniente morbo actionem  
 ledat, hunc affectū non morbum, sed causam antece-  
 dentem uocabimus. Ex quo Galeni loco iterū perspi-  
 cuum est, inter causam antecedentem & morbum nul-  
 las alias interiacere causas, ueluti Montuus putat. Et  
 quid multis moror? Galenū causam internam & ante-  
 cedentem perpetuo facere unā & eandem, satis liquet  
 ex ijs quæ scribit li. 1. The. meth. in hunc modū: *αὐτίων  
 τὰ μὲν γὰρ αὐτῶ τοῦ ζώου τῷ σώματι σωματικὰ προηγμένα  
 καὶ λείω*, id est: Causarū quæ quidem in ipso animalis  
 corpore cōsistunt, antecedentes nominet. Et apertius  
 lib. de Causis morborū, ubi sic scribit: *τὰς μὲν δὲ κατ'  
 αὐτὸ τὸ ζῶον αἰτίας ὀνομάζουσι προηγμένας νοσημάτων*, hoc  
 est: Eas quæ in animali ipso consistunt, causas nomi-  
 nant morbum præcedentes. Iam puto sole clarius  
 monstrauius, Galenū per causam internam nullam  
 aliam, nisi quam alio nomine præcedentem uocat in-  
 tellexisse. Quid philosophi appellauerint causam præ-  
 cedentem, non laboro, nobis certe, qui ex Galeni sen-  
 tentia fatemur, morbum esse affectū, qui primo actio-  
 nem lædit, non licet causam internam uocare coniun-  
 ctam. Contrā Methodici, quia morbum esse actionē  
 læsam, quam nos inter symptomata connumeramus,  
 statuunt, necessario causam coniunctam in morbis  
 esse dicunt.

Causa inter-  
 na & ante-  
 cedens una  
 & eadem.

Methodicū  
 necessario  
 causam con-  
 iunctam in  
 morbis sta-  
 tuunt.

Quod uero Galenus nullam in morbis causam con-  
 iunctam posuerit, unus is locus qui habetur li. 1. The.  
 meth. palam ostendit, ubi sic scriptū reliquit: Eius affe-  
 ctus qui actionē impedit, causæ possunt quidem non  
 etiam esse, possunt autem & adhuc manere. Quibus  
 uerbis innuit, causam morbi interdū abesse posse, præ-  
 sente nihilominus morbo, quod certe cōtra causæ con-  
 iunctæ naturam est, utpote quæ cum abest, abest etiam



*Galenus  
quare cau-  
sam cōiun-  
ctā in mor-  
bis tollat.  
Putredo nō  
est causame-  
diata, sed im-  
mediata fe-  
bris.*

morbis. Cur uero tollat causam coniunctam in mor-  
bis Galenus, nulla alia causa est, quam quod alias fate-  
ri cogeretur, actionem uisitā esse morbum: quod ma-  
xime ab illius decretis abhorreret. Ceterū quid aequē  
ridiculum, atq; à Galeni placitis remotū, ac dicere pu-  
trescentem humorē esse causam mediatam febris, quū  
tamen inter putredinem & febrem nihil interueniat:  
quæcunq; enim in animantis corpore putrescunt, ut  
testatur Galenus lib. de Cau. morb. cap. 1. calorē quen-  
dam immodicū in ijs partibus, in quibus putrent, effi-  
ciunt. Hic quia per totum corpus dispergitur, ideo fe-  
bris appellatur. Proinde fumus, qui à putri humore  
spirat, ut infantiliter nugatur Montuus, non est causa  
continens febris putridæ, nam materia in febre putri-  
da, in qua accenditur calor, est humor, non fumus ua-  
porq; , is enim ephemera febris materia est, ut docet  
Galenus lib. 1. cap. 1. de Diff. feb. & li. 8. The. 9. & 10.  
ubi disertè fumos, fuliginesq; acres et mordaces, ob cu-  
tem stipatā retentas, febrem diariam accendere tradit.  
Quod si uero huic obstructioni in tempore nō prospe-  
ctum fuerit, in alias febres diariam hanc transire idem  
docet Galenus. Et quid opus est proluxa disputatione,  
cum constet longe aliaratione Galenū de febrīū cau-  
sis, quam Montuum, eiusq; farinae medicos loqui.

Sed instat Montuus, & locum ex lib. 1. de Sympto.  
causis profert, ubi Galenus uidef statuere causam con-  
iunctam, ijs uerbis: Molesta quidem est pupilla, præter  
naturam exigua. Quæ uero suapte natura talis est, uti-  
lis esse censetur. Rursus amplitudo natua quidem ui-  
tiosa est, neque uitio caret non naturalis, sed angustia  
malum minus est. Quippe cōtinens causa, ut ita dixē-  
rim, quæ ipsam inducit, uueq; tunicae tentio est. Hacte-  
nus Galenus. Ex quibus certe uerbis non intellectis,

Montuus

Montuus causam coniunctā statuiffe Galenū sic probare conatur. Pupillæ amplitudo angustiaq; morbus est, nam oculi actionem seu uisionem primo lædit.

Prætereo, inquit Montuus, quod stuporis etiā causam continentem declarat Galenus loco nuper adducto. Prò pudor, quis unquā credidisset octogenarium medicū tam imperite de rebus medicis loqui potuisse. Amplitudo ne pupillæ & angustia, stupor etiā, morbi sunt, an symptomata Montue? Symptomata sanè, nā amplitudo extensionē, angustia uero laxitatem uueæ sequitur. Est itaq; extensio uueæ morbus, quia lædit pupillæ actionē: amplitudo uero, quæ sequitur actio læsa. Sic stupor symptoma est, & minimè morbus: quia actio læsa est, sequitur autem ut plurimū obstructionē & refrigerationē: quæ utraque, quia actionem uitare possunt, morbi sunt. Et certe potuisset uel libri titulus Montuū eius rei cōmonefacere, qui aperte significat Galenum eo in libro de Causis symptomatū, quæ in actionis offendiculo consistunt, qualia amplitudo & angustia pupillæ, stuporq; existūt, agere. Proinde cum hæc ipsa symptomata, & actiones læsæ sint, minime autem morbi, nihil reluctamur quin causas coniunctas habeant. Nam Galeno lib. 1. The. meth. teste, affectus cum actione unā consistit, nec potest usquā aut proba actio esse sine corporis naturali affectu: aut uitiosa, nisi corpus sit uitio affectum. Quare fatemur morbum eius symptomatis, quod in actionis offendiculo consistit, esse causam coniunctā, ut de amplitudine pupillæ et stupore iam docuimus, atqui morbi esse causam cōiunctam, id est quod negamus: quia non actionem læsam, sed affectū lædentem actionē, morbum esse affirmamus. Quod certe idem nisi cū Galeno asserere uoluisse Auicenna, nihil in statuenda causa coniuncta,

*Motus nō sine summa imperitia symptomata morbos appellat.*

*Morbus symptomaticus est causa coniuncta.*



quam omnes actiones læse obtinēt, deliquisset. Ideoq̄ uehemēter miror, Montuum hic disputationis statum non tenere. Nos enim morbi nullam esse causam con-  
 functā dicimus: ille symptomata habere, id quod nun-  
 quam negauimus, contendit ostendere. Sic rigor non  
 est morbus, sed symptoma, Galeno etiā lib. 2. de Sym-  
 pto. causis autore, non itaque mirum, si causam con-  
 iunctam habeat.

*Montuus  
 principia  
 medicinae  
 ignorat.*

Pituita deniq̄ habet causam continentē cur spumo-  
 sa fiat, (quis enim inficiaretur?) sed hoc quid ad proba-  
 tionem causæ cōiunctæ in morbis? Pituitam enim esse  
 morbum, quis unquam præter Montuum dixit? Cau-  
 sæ quidem morborū sunt humores, at minime morbi:  
 id quod ne ille quidem, qui primoribus labris medici-  
 nam degustauit, ignorare potest aut debet. Vnde om-  
 nibus perspicuum fit, Montuum, utcunq̄ iam capula  
 rem senem, principia medicinae ignorare: id quod illi,  
 senectutem in illo ueneratus, nō obiecissem, nisi prior  
 nobis eā principiorū ignorationē falsō exprobrasset.

Causæ coniunctæ definitionē nunquam improba-  
 bimus, ut nobis sepē impingit Montuus: sed ijs rebus,  
 quarū Auicenna & Introductorij autor exempla affe-  
 runt, minime conuenire affirmauimus. Neq̄ enim pu-  
 tredo causa cōiuncta est febris putridæ, quod illa amo-  
 ta sæpe febris adhuc maneat. Pari ratione telum & spi-  
 na non sunt causæ coniunctæ uulneris, quod ijs euul-  
 sis maneat uulnus. Sic neque lapis in uesica causa est,  
 sed morbus, quod scilicet actionē uitiet. Sed instat hic  
 Montuus, dicens, putredine quidem amota manere  
 etiamnum febrē factam, at minime eā, quæ adhuc fit.  
 illa enim unā cum putredine finitur. Non dissimiliter  
 euulso telo manet quidem uulnus factum, at desinit ta-  
 men quod fit. Hinc coniectare licet, eius qui fit, ac iam  
 facti

facti morbi discrimen, quod uel medicū tyronem turpiter lateret, Fuchsiū ignorasse. Hęc Montuius magna cum summæ suæ ignorātiā proditiōe effutiuit. His enim uerbis palām declarauit, in eum esse regerendum, quod mihi uitium exprobrauit: nempe ea illum ignorare, quæ tyronē medicinæ latere turpe est. Neq; enim discrimen inter morbum fientem & factum, ut idem putat, ignoro, sed Galeno etiā lib. 1. de Affe. lo. manente, multū discriminis inter hos esse probē scio. Morbus enim qui adhuc fit, non est morbus, iuxta Galeni traditiōnē: quod scilicet morbus eodem li. 2. The. meth. autore, ex permanentiū constantiūq; numero sit. Quod fufius etiā lib. de Differentijs sympto. demonstrat, in hunc modum: Morbus est affectus, affectus uero in subiecto corpore & permanet & seruetur: igitur morbus est res permanens. Si itaq; morbus est res permanēs, consequitur morbum, qui adhuc fit, cum essentiā suam in fieri habeat, & minime ex numero permanentiū sit, non esse morbum, sed pathos. Sic enim Galenus lib. 2. The. metho. & lib. de Diff. sympto. statuit, ubi pathos nihil aliud esse scribit, quā motum circa materiā ab efficiente procedentem: uel motū rei, quæ afficitur. Proinde quemadmodū actio, quæ nihil aliud est nisi motus efficientis, est ex eorū numero quæ adhuc fiunt, & nō permanent: sic etiā morbus fiens, qui pathos recte loquentibus appellatur. Et ut actio habet causam coniunctam, affectū uidelicet, qui unā cum illa consistit perpetuo: sic etiā morbus fiens, qui pathos est. Atqui cum nos morbum, qui adhuc fit, quandoquidem ex permanentiū numero non sit, minime morbum appellemus: sed eum solum, qui iam factus sit, utpote cuius essentiā iam non ex causa aliqua dependeat, sed se solo possit constare & permanere:

*Morbus  
fiens nō est  
morbus, sed  
pathos.*

*Morbus  
fiens habet  
causam con  
iunctam.*



nere: euidentissimū omnibus est, morbum ex Galeni sententiā non habere causam coniunctam. Atq; adeo hinc etiam perspicuum est, Montuū nihil eorum quæ tradit Galenus intelligere; quod nimirū ignorat, morbum sientem non dici morbum à Galeno, sed pathos. Quapropter ubi de morbo incidit disputatio, de eo loquitur, qui factus est, & uere morbus dicitur: nō de eo, qui adhuc fit.

Posthæc pergit Montuus sic scribendo: Fuchsius adeo rudis est in ipsis medicinæ principijs, ut rerū præter naturam diffusionē non capiat, quod ex tertio eius argumento claret, in quo id quod morbus est, in causarum numero collocari non posse contendit. Atqui sæpe contingit, ut eadem res, diuersis tamen rationib. morbus, causa, symptomatq; sit. Hactenus Montuus, qui iterum à disputationis nostræ scopo aberrat. Nobis enim de morbificis causis contentio est, quarū nullam causam esse coniunctam dicimus: ille symptomatum causas profert, quas coniunctas esse, & morbos etiam dici nihil refragamur. Hoc autem cōstanter negamus, idem posse esse causam morbificam & morbum: quod scilicet morbus ipse primum & per se lædat actionem, causa uero minime. Sic interdum symptoma symptomatis causa est, quod sæpenumero ita inter sese in ordinem quendam digerantur symptomata, ut primū symptoma morbum sequatur, dein à primo dependeat secundum, rursus ab hoc tertium, ut uideri licet apud Galenū libro de Sympt. disse. ubi fusiissime hanc rem tractat. Perpetuo igitur proprie & recte loquendo calculus, quia actionem primo lædit, morbus erit.

Porro causam coniunctam esse affectum primo lædentem actionē, satis in Paradoxis demonstrauimus.

ideo

Nulla causa morbifica est coniuncta.

ideo cur repetamus nihil opus esse uideo.

De fumo autem à putrescente humore orto, quem causam coniunctam febris facit Montuus, antea diximus. Neq; enim ullum ostendere locū poterit, in quo fumū esse febrium putridarum causam docuerit Galenus. Diariarum quidem februm materiam esse, cum Galeno nostro fumum seu uaporem fatemur, at mini me putridarum. Quare cum inter febrē putridam & ipsam putredinē nihil interuenire intelligeremus, per fumum in Paradoxis calorem ipsum interpretati sumus. Neq; hodie aliter interpretari possumus, ut cūq; ringatur ac latret canis ille Montuus, qui hoc uno nomine nebulonem me appellare ausus est, ipse nebulonum omnium pessimus, quod apertæ ueritati, ac multorum eruditissimorū nostræ ætatis medicorū consensui reclamare non uerecundetur.

Librum Definitionum atq; Introductorij nos non agnoscere pro Galeni cōmentarijs, satis testantur libri à nobis editi. Quod autem aliquando sub Galeni nomine citauerimus, id nulla alia ratione factū est, quàm quod tum communem multis sententiam sequi placuit, præsertim cum nondum nobis Græcus uisus esset Galenus.

*Libri Defi-  
nitionū &  
Introducto-  
rij non est  
Galeni.*

## DIALEXEOS QUINTAE CONFUTATIO.

**Q**uod ad hanc partem de uenæ sectione in pleuride attinet, cōmentitium est quod Montuus ait, me sola autoritatum congerie fretum, Arabum sententiæ repugnare: cū omnibus qui nostra legerunt perspicuum sit, nos multo melioribus ac firmioribus rationibus, quàm Montuū, illumq; sectantes medicos, uti.

Dein quod inquit me uanum esse existimare, quod præci in uictis ratione nō sicut hodie fit deliquerint, apertus ratio

*Seculū Hip-  
pocratis in  
uictis ratio*



*ne non sic  
deliquit . ut  
Galeni aut  
nostrum.*

apertissimum est mendacium. Neque enim simpliciter falsum esse, sed si ad Hippocratis tempora retuleris uerissimum esse dixi. Quare non erat quare nobis Socratem, & alios quosdam philosophos antiquissimos & abstemios, obtruderet. Sin ad Galeni seculum respereris, falsissimum: ut qui multis in locis suorum monumentorum, in computationis studiosos acerrime inuehatur. Sic non ueretur alios falso insimulare mendacii Montuus, ipse nugacissimus.

Quod uero attinet ad locum ex lib. Hippo. de Natura humana & ossium productum, rogo equus Lector ea quae in Paradoxis a nobis scripta sunt consulat, & uidebit nos nihil conuenientibus praeterisse oculis.

Quae sequuntur, ad Puteanum pertinent, uno tantum excepto: quod nimirum putat me confinxisse, omnes qui hodie medicinam exercent, purgare ante uentres sectionem. Sed ego ad Germaniae nostrae consuetudinem prouoco: nam quid in Gallia fiat non laboro, haec mihi, certo scio, hoc in loco patrociniabitur.

Alia quae ad huius Dialexeos confutationem spectant, ex Apologia, quam aduersus Brachelium scripsimus, petant studiosi.

#### DIALEXEOS SEXTAE CONFUTATIO.

**Q**Uum non in uniuersum omnem, sed immodicum ac intempestiuum clysterium in renum calculo usum in Paradoxis damnauerim, non erat cur Montuus ex autoribus, locos, quibus doceret illos interdum conferre, produceret. Proinde cum ea quae profert nihil nobis aduersentur, ut ad ea respondeamus necesse non est. Quare qui penitus sententiam nostram cognoscere uoluerit, is Paradoxa petat, & quod Montuo respondeat in promptu habebit.

Quod

Quod Græcis Latina semper subiunxerim, nō ideo ut in immensum Paradoxorū opus excreceret, quem admodum maliciose Montuus interpretatur, factum est: sed ut ex æquo omnibus consuleretur, tam ijs scilicet qui Græcis magis quàm Latinis delectarent, quàm ijs quibus ea lingua prorsus incognita esset. Nā quem fructum exlectione Paradoxorum caperent, qui Græca non assequerentur, non uideo. Et quia semper ex Græcis certius quàm ex Latinis Galeni mens erui potest, ideo illa ut nostris maiorē fidē faceremus, omittere cōsultum non erat. Quam fideliter enim omnia ab interpretibus uersa sint, sciūt qui Græca cum Latinis cōferre possunt. Quare non magnopere laboro, ut hoc nostrum consiliū placeat Mōtuo & Villanouano: modo hoc constet, me hac ratione omnib. prodesse uoluisse.

## DIALEXEOS SEPTIMAE CONFVTATIO.

**H**ic iterū neglecto disputationis scopo, Montuus plura de alui profluuiō garrīt, cum tamen nobis cū illo de dysenteria duntaxat contentio sit. Quare ijs in presentia neglectis, ad rem ipsam de qua nobis conuouersia est ueniamus: uno hoc tantū adiecto, callide fecisse Montuū, dum Antyli uerba ex lib. 3. ca. 23. Aëtij producit, quod eos etiam qui inepti ad purgationē sunt, inter quos eos quoque qui dysenteria facile corripiuntur recenset, non commemorauerit.

Pliniū, Dioscoridem, Galenumquē, Rhaponticū in dysenteria propinasse non miretur Montuus, quādo hoc ipsum à nostro Rhabarbaro & forma & facultatibus diuersum fuerit. Id quod supra, & ad plenū in Apologia aduersus Puteanū monstrauimus. Quare prædicti autores, suæ sententiæ nihil patrocinari possunt.

Deinde Montuus insignis Sophista, cū animaduert

*Veterum  
Rhaponticum à nostro Rhabarbaro differt.*

Rhabarba-



*rū assum dy  
senteria af-  
fectis haud  
dandum.*

teret acrimoniam, quæ est in medicamentis, imò put-  
gandi etiã facultatem, non posse uisione, sed potius lo-  
tione auferri, ut Mesues tueretur sententiã, inquit ue-  
rum esse quod Rhabarbarū uehementer assum, atque  
adeò uisum, intestinis ulceratione affectis oblit: assum  
tamẽ modice, & (ut ille ait) torrefactum, nihil nocere,  
imò quia igneẽ eius partes assatione resoluunt, impen-  
dio conferre. Sed nõ animaduertit ueterator ille, erra-  
tum suũ hoc pacto excusari non posse; quãdoquidem  
euidētissimũ sit, ut Galenus lib. 2. de Compo. med.  
ἢ γένν scribit, omne medicamentũ ἐκ τῶ τοῦ πνεὸς ὀμι-  
λίας διασώζει τι διακνώδες. Cum igit̃ Galenus dicat com-  
mercio ignis euenire, ut mordacia seu erodentia fiant  
omnia medicamẽta, atq; ipsa assatio sine ignis cõmer-  
cio fieri non possit, sole clarius est hæc, utpote motum  
ad uisionem, mordicationẽ ac erosionẽ augere, tantũ  
abest ut igneas eorundẽ partes resolvere queat. Qua-  
re errare in uniuersum omnes qui Montuũ amplectun-  
tur sententiã medicos recentiores necesse est: cum assa-  
tioni adscribunt, quod Galeno & experientia ipsa te-  
stante lotioni debetur. Hęc enim est, quæ etiã ea quæ  
usta sunt moderatiora, minusq; mordacia reddit.

*Lotio mor-  
dicationẽ et  
erosionẽ au-  
fert, non  
ustio.*

In citatione nominis Marci Gatinarie erratum esse,  
sed nescio quo pacto, ingenue fateor. Studio certe nõ  
factũ esse, probẽ constat. Neq; enim multũ honoris ex  
eius uiri reprehensione sperandum nobis erat, ut qui  
in eorum numero fuerit, qui Arabum decreta sectati  
sunt. Vt enim Græcorum sequeretur, temporis iniu-  
ria illi non licuit.

DIALEXEOS OCTAVAE CONFUTATIO.

**H**Oc in loco, ut aliàs ferè semper, immemor illius  
Huulgatissimi δις κερὰ μὲν δάνατος Montuus, anno  
tationem

rationem suam in Paradoxis abunde confutatam, ad uerbū reperit: sic tamen, ut ad argumēta nostra, quib. illius sententiā oppugnauimus, nihil prorsus respondeat. Quapropter cum, quod ad priorem annotationē attinet, singulæ eius copiæ satis superq̄ à nobis antea expugnatæ sint, non est cur in præsentia actū agamus.

Locus ex li. 3. ca. 23. Aëtij productus, nobis nihil aduerfatur: ut qui etiā fateamur, in acutis morbis, quādo materiæ exuberauerint, in principio esse purgandum.

Et est hæc sententia ad uerbū ex Galeno descripta, qui li. 1. Aph. Cōmen. 24. in hūc modum scriptū reliquit: *ὅτι μὲν γὰρ τοῖς χρόνιαις αἰεὶ καὶ τὸ πεπασμὸν ἀναμύειν. καὶ δὲ τοῖς ὀξείαις, ὅταν ὀξυῖα, καὶ κατ' ἀρχὴν οἴοντε φαρμακείαν, καὶ αὐτὸ ἴσως μετὰ πολλῆς εὐλαβείας καὶ περισκέψεως.* Hæc primum uerba Antylus ex Galeno trāscripsit, deinde ex illo in sua transtulit Aëtius, sicut ex Interprete (Græcus enim Aëtius nobis nōdum uisus est) manifeste colligimus, qui eam Galeni sententiā sic conuertit: In omnibus diuturnis morbis, ante maturacionem minime euacuandum. In acutis uero, quādo materiæ exuberauerint, in principio purgandū, quod tamē cautissime faciendum. Ex quibus sanè uerbis euidentissimū est, interpretem pro eo quod habet Galenus, *ὅταν ὀξυῖα*, dixisse, quādo materiæ exuberauerint. Quum itaq̄ nihil refragemur, quin turgentibus humoribus inter inītia purgatione uti liceat, omnibus perspicuum est, hanc Antyli sententiam nobiscum nihil pugnare.

Cætera quæ profert Montuius, ex Manardi epistolis suffuratus est, ad quæ obiter & ordine respōdebimus. Quod Galenus inter inītia Alopecię nulla præcedente concoctione aut preparatione purgauerit, lib. 1. de Cōpo. med. *ἢ τὸπος*, ca. 1. sententiā nostrā non euerit: ut qui eos humores, iuxta eiusdem sententiā, qui in

De uacuatione, ut uocant, minorante.

Galeni locus explicatur.



parte aliqua corporis fixi atq; firmati sunt, ante coctio-  
nem minime purgandos esse dicamus. Galenus autem  
non eos qui iam in capite firmati fuerunt, purgationib.  
ijs tribus eduxit: sed alios potius, qui sanguinem uitia-  
runt. Id quod eiusdē uerba palàm docent, cum paulo  
post dicit: Quum igit post has tres purgationes homi-  
ni pituitam è capite deducere per apophlegmatismos  
uellem. Quid multa? Quādo humores crassi admodū  
fuerint, & tenaces, atque adeò crudi, inq; aliqua parte  
corporis fixi, tum nisi cocti fuerint euacuādi non sunt.  
Quare cum in laterali morbo, & oculorū inflāmatio-  
nibus, utcunq; in unā partem corporis decumbāt, hu-  
mores crassi et tenaces minime sint, nec ita infixi ut nō  
nisi summa difficultate educi queant, nihil prohibet

*Humores  
efficiētes in  
flāmationē  
uere tur-  
gent.*

quin ab initio uacuare eosdem liceat. Quib. accedit,  
quod humores illi qui inflāmationē efficiunt, quādo-  
quidem hominē molestant et dolore afficiūt, turbātq;  
nec quiescere permittunt, uerè turgere, iuxta Galeni  
interpretationē, quam lib. 1. Aph. Cōm. 22. affert, di-  
cunt. Quū igit turgēt, ut inter initia morbi uacuentur  
nihil impedit. Quare omnib. iam perspicuū esse arbi-  
tror, loca per Montuū ex Manardi epistolis suffurata,  
nostre, imò Hipp. & Galeni sentētię nihil aduersari.

Porro quod ridiculū esse uidetur Montuo, qđ dixi-  
mus medicamentū materiā diminuens esse tam imbe-  
cille, ut crudos humores tantū moueat, nec educat, ni-  
hil mirū, facile enim stulto hominī ea etiā quę pruden-  
tissime dicta sunt, ridicula esse apparent. Sciat autem,  
idem etiā dixisse magnū illum Hippocratem, lib. 4. de  
Vict. ratiōe acut. morb. ibidem enim inter alia sic scri-  
bit: Quicūq; ea quę inflāmationē patiuntur, statim  
inter morborū initia medicamēto purgatorio soluere  
conantur, ij à distenta inflāmataq; parte nihil auferūt,  
neque

neq; enim affectus, utpote crudus, cedit obsequiturq;. Hæc ille. Non ne idem quod nos dicit; nempe crudos humores reluctari atq; resistere medicamentis, ne educiqueant.

Deniq; non latet, Barbaros medicos hac uti loquendi formula, ut dicant medicamentum forte, debile: intelligentes tale, quod actione sua uehementis, quantitate autem modicum sit. Verum hoc quid ad institutum nostrum, qui plane contendamus humores crudos medicamentis ne mouendos quidem esse: tantum abest, ut uehementiori aliquo educendos esse putemus, quando id ipsum propter rationes Galeni in Paradoxis adductas fieri non posse, satis nobis constat.


## DIALEXEOS NONAE CONFUTATIO.

**N**Eque hic alia, nisi ea quæ olim, profert Mōtuus: adeo ut non opus sit quicquam ad hæc respondere, quando satis superque de ijs omnibus, in Paradoxis quid sentiamus exposuerimus. Ea igitur petat, qui presentis Dialexeos confutationem desiderat. Hactenus obiter ac defunctorie ad Montui Dialexeis respondimus. neq; enim necesse erat, ut multum operæ seriæ in ijs diluendis, quando frigida admodum sint, poneremus: quo nomine ut rideantur potius, quam anxie confitentur, merentur. Nos bonas horas potius in ijs rebus, quæ studiosis profutura sunt, subinde consumemus, strenue quicquid erit istarum nugarum contempturi.

F I N I S.





 **APOLOGIA**  
**ADVERSUS HIEREMIAM**  
**THRIVERVM BRACHELIVM, MEDICVM**  
**Louaniensem : qua docetur, in internis inflam-**  
**mationibus, pleuritide præsertim, è directo**  
**affectæ partis sanguinem mittendum**  
**esse : locis compluribus emen-**  
**data, & aucta.**

**LEONARDO FVCHSIO**  
**MEDICO AVTORE.**



APPOLOGIA  
ADVERSUS HIEREMIAM  
TRIVIRVM BRACHERIUM, MEDICVM  
Louvaniensem: qua docetur in laetitia infantis  
marchonibus pleuriae periculis, et in  
affectu partu sanguinis intercedunt  
esse: locis compunctis et  
dicitur, et cetera.

LEONARDUS FUCHSII  
MEDICO AVTORE.

APOLOGIA ADVERSVS

HIEREMIAM THRIVERVM BRACHELIVM,

medicum Louaniensem: qua docetur, in internis inflamma-

tionibus, pleuritide præsertim, è directo partis

affectedæ sanguinem mittendum esse,

Leonardo Fuchsio medico

autore.



NON SATIS mirari possum qui fiat, ut dum alios pertinaciæ accusat Hieremias, quod nimirum animaduerso errore nondum resipiscat, nec recta monentes audiant, seipsum accusari non intel- ligat, ut qui sanè haud secus atq; illi cognitiæ iam veri- tati repugnare pergat. Nisi enim huic obstinate relu- ctaretur, istac sua disceptatione facile abstinuisset, quum uel ex uno Galeno diuersum cognoscere potuisset, modo eius scripta intimius introspicere, & paulo ma- gis expendere, neq; perditæ in suam sententiam detor- quere uoluisset. Proinde non tam acriter accusandi erunt illi, quibus prioris seculi infelicitas, aut præce- ptorum ignorantia, quo minus hodie ueritatem asse- qui possint, obstitit, atq; Brachelius ipse. Hi enim cum ab ineunte ætate sic instituti atq; imbuti sint, ut elegan- tiores ac meliores medicinæ scriptores ne degustare quidem, atq; adeò ueritatem ipsam, quam illi posteris tradiderunt, haud cognoscere potuerint, cur non secus docentibus atq; ipsi didicerint refragarentur? Brache- lio uero, qui elegantiores literas non in transcurso atti- git, ueteresq; medicinæ scriptores non nihil degustauit, quid patrocinari queat non uideo. Si multorum con- sensum, ac longo tempore receptam in medicorum scho- lis consuetudinè sibi patrocinari putat, sciat non satis



iustam esse causam ad delinquendum, cum multis errare; neque prauam ac non sine magno multorum malo introductam consuetudinē diutius ferendam, multominus imitandam esse. Atque instat Brachelius, dicens: Consuetudinem nihil moror, cur enim à tua sententia discedam, me non parum mouet rationū quas habes tenuitas: quæ mea quidem sententia irritæ sunt, & nihilo secius meam quam tuam adstruunt opinionem, te sapius quam me conficiunt. Hæc ille: Audio quidem hunc strenue nostras cōtemnere rationes, sed quam falsò istud ut faceret sibi persuaserit, quamque multorum de se expectationem eluserit, pulchre in disputationis progressu ostendemus. Tantū enim abest ut clauum clauo truserit, autorumque à nobis contra illum eiusque sequaces citata testimonia in nos retorserit, ut nemo deinceps futurus sit, qui non uanissima illum pollicitum esse palam dicet. Quare non erat, cur temere cristas erigeret Brachelius, atque ante uictoriam caneret encomiū. Sed omiſsis hīs omnibus, ad obiecta eius diluenda potius accedamus. Cum uero Cicero non sine magno consilio monuerit, ut omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, à definitione proficisci debeat, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur: operæ præciū nos facturos arbitramur, ne ab ignotis, (quod Brachelio cōtigisse manifestis cōuincemus argumētis) nostra procedat oratio, si primum quid sit auersio, quæ eius species, quid denique per longinqua, quidque per contraria intelligendū ueniat explicemus. Nisi enim initio disputationis prestaueris, ne qua uox ambigua negotium faciat, sepe numero de uerbis tota cōtentio erit. Quod certe consiliū si Brachelius sequuisset, nunquam tam infantiliter in reuulsionis ac deruationis uocibus, eas mirifice confundendo, lapsus esset.

Auersio

Auerſio itaq; nihil aliud eſt, quàm humorum ad alia  
 loca conuerſio: atq; adeò genus eſt ad reuulſionem &  
 deriuationem, quarum illam Græci ἀντιπαροίη, hęc ue  
 ro παροχέτευσις nominant, Cuius rei teſtis eſt Galenus  
 lib. 5. The. metho. ubi de ſanguinis potiſſimū humoris  
 auerſione in hunc modum ſcribit: Sanguis auertitur,  
 atq; ad alias partes conuertitur tum deriuatione, tum  
 reuulſione, nam hęc quoq; Hippocratis inuenta ſunt,  
 omnis immodicæ uacuationis cōmunia remedia, De  
 riatur quidem ad uicina loca, reuellitur autē ad con  
 traria. Has uero auerſionis ſpecies tum aliàs ſepe, tum  
 potiſſimū Aph. 3. par. 2. li. 6. Epide. Hippocrates ex  
 preſſit, ubi ſic ſcriptum reliquit: παροχέτευσις, ὑπεξάντα  
 ἀντιπαροίη αὐτῆς, ἀντιτέναντα ὑπέξει. quod eſt: Deriua  
 re oportet, obſecundantia quidem cōfeſtim reuellere,  
 reſiſtentia autem uincere. Vnde iam perſpicuum ſit,  
 reuulſionem retractionem uē, ſeu ἀντιπαροίη Græcis  
 nihil aliud eſſe quàm humorum in contrariam, quàm  
 antea fluebant partem tractus, uel breuiſſime: uacua  
 tio, quæ ad contraria ſit. Deriuatio autem ſeu παροχέ  
 τευσις eſt, uacuatio, quæ ſit ex proxima partis affectæ  
 particula. Quando uero ſit reuellendum, & quan  
 do deriuandum, breuiter docet Galenus lib. 4. The.  
 meth. ſic ſcribens: Quum maxime inſluit, tum ad con  
 traria reuellere oportet. At ſi iam fluxio ceſſauerit, atq;  
 in membro inhæſerit, deriuare per uicina magis expe  
 dit. Præter tamen reuulſionē & deriuationem alia  
 quædā uacuationis ſpecies eſt, dum ſcilicet per ipſam  
 affectam particulam, ea ſcilicet ſecta aut ſcarificata, ua  
 cuamus, Hęc certe humorī, qui in affecta particula ſic  
 fixus eſt, ut neq; reuulſione ad contraria, neque deriua  
 tione ad uicina, latus uē queat uacuari, debetur. Cæ  
 terum contraria ſunt omnia, quæ eſt contrario fluxionis

Auerſio  
 quid.

cc  
 cc  
 cc  
 cc  
 cc

Reuulſio  
 quid.

Deriuatio.

Quando re  
 uellendū eſt  
 quando de  
 riuandum.  
 cc  
 cc

Vacuatio  
 per particu  
 lam affectā.

Contraria.



*Longinqua.* sita sunt. Longinqua autem non tantum ea quæ maxime ab afflictâ parte distant, uerum etiam quæ e contrario defluxionis posita sunt, dicuntur. Atque adeo longinqua à contrarijs nihil differunt, de quibus distantia natura potius, quia album à nigro distat, quam positionis intelligendū erit, cum longinqua uocamus. Hinc Galenus reuulsionem iam ad longinqua, iam ad contraria fieri debere indiscriminatim ait. Differunt tamen non nihil etiam proprie loquendo contraria à longinquis: quod scilicet contraria quasi genus ad longinqua & longissima seu maxime longinqua sunt, longinqua uero species. Hinc omnis quidem reuulsio ad contraria fit, non tamen ad maxime longinqua, ut paulo post docebimus. Id quod Galenus lib. 5. The. meth. palam ostendit, qui duplicem in sanguinis ex naribus profusione *ἀντιπαραστροφῆς* seu reuulsionem facit. Vnam, quæ fit ad totius corporis inferna; alterā, quæ ad capitis posteriora. Si enim reuulsio semper ad eas quæ maxime distant partes fieri deberet, puero etiam perspicuum esset, eam quæ ad capitis fit posteriora tractationem non esse reuulsionem. Quapropter ut longinqua sunt non quæ maxime ab affecta parte distant, sed quæ aliquantulum distant, atque adeo e contrario fluxionis sunt sita: ita contraria non tantum quæ longissime ab afflictâ parte absunt, uerum etiam quæ utcumque e contrario fluxionis sita sunt dicuntur. Contrarium autem hæc omnia significare Galenus in libello de Reuulsione edito satis testatur: ubi reuulsionis species enarrans, contrarium inquit esse sursum, deorsum: intro, foras: dextrum, sinistrum: antrorsum, retrorsum. Ex quibus omnibus satis liquet, errare eos toto cælo, qui suspicantur reuulsionem non fieri nisi ubi humor influens retractione ab affecta parte perueniat in oppositam,

*Contrariū  
genus ad longinqua et longissima.*

*Reuulsio  
quæ ad contrarium fit species.*

*Reuulsione non semper*

positam, aut longissime distantem. Si enim sanguinis *ad maxime*  
aut alterius humoris reuulsio nunquam fieret ad con- *longinqua*  
traria, nisi ad distantissimas partes perueniret; tum ea- *fieri.*  
dem ratione neq; lapis diceretur descendere, aut ad in-  
feriora moueri, ut prolxius etiã Brissotus (uir eximiã  
eruditionis) colligit, nisi ad infima, & ad mundi medi-  
um pertingeret, quod tamen dictu absurdissimũ esset.  
Dicitur enim aliquid moueri deorsum, quoniam uer-  
sus inferiora ac mundi medium tendat, non quod il-  
luc perueniat. Proinde in reuulsione non necesse est,  
ut humor ad maxime distantes partes perueniat, sed  
satis erit si huc tendat. Quod nisi concedat Bracheli-  
us, fatendum certe erit, in pleuritide uacuationem ex  
opposito brachio non esse reuulsionem; quando ea  
pars corporis non maxime distet à parte affecta, cum  
crus oppositum multo magis distet. Accedit quod Ga-  
lenum erroris insimulari oporteret, eo quod in libro  
de Curatione per sanguinis missionem, euulsionem è  
directo factam, ut eam quæ utilitatem efficacem & ce-  
lerem ostendat, illi quæ ex opposito fit anteponat. Por-  
ro etsi reuulsio nõ perpetuo ad maxime distantes par-  
tes fiat, nihilominus tamen ad hanc certa quædam di-  
stantia requiritur, quod ex nimia uicinitate tollatur  
retractionis commoditas: atq; adeo non relinquatur  
spacium, ut in contrarium uertatur excretoriæ faculta-  
tis impetus. Quamuis quorsum attinet ista monere;  
cum euacuatio quæ ex proxima fit laboranti parti-  
cula, non reuulsio, ut diximus, sed deriuatio: sicut ea  
quæ ex affecta parte fit, neque reuulsio, neque deri-  
uatio dicitur. His ueluti ad totum disceptationis sco-  
pum recte intelligendum summè necessarijs, in hunc  
modum prælibatis, reliquum est ut ad ea quæ no-  
bis à Brachelio sunt obiecta, ordine respondeamus.

Incipie-

*Ad reuulsio-  
nem certa  
quædam di-  
stantia re-  
quiritur.*



Incipiemus autem à loco Galeni, quem ex decimoter-  
 tio Therapeutices libro producit, ubi ille sic scriptum  
 Galeni  
 locus. reliquit: Siquidem si iam febricitet aeger, nec exercita-  
 ,, tione uacuare plenitudinē licet, nec unctione quæ ex-  
 ,, calfaciat: sed nec multa frictione, nec balneo, imò san-  
 ,, guinis missione unà cum inedia, uel purgatione ali-  
 ,, qua. At si nondum febricitat, omnibus iam dictis uta-  
 ,, re, optimum quodcūq; ad id quod instat deligens. Illud  
 ,, enim patere, uel me tacente arbitror, eum cui crura  
 ,, phlegmone laborāt, non esse uel ambulatione, uel cur-  
 ,, su exercitandum, sed nec stare illi melius esse, imò hūc  
 ,, sedentem plurimū fricari oportet, mox manuum mo-  
 ,, tu exercitari illi est satius. At si cui in supernis cœperit  
 ,, pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inam-  
 ,, bulatione, aut cursu, est salutaris. Similiter & frictio,  
 ,, his quidem ea potior est, quæ cruribus adhibetur: illis  
 ,, quibus crura inflammatione laborant, quæ in super-  
 ,, nis partibus administratur. Quippe præceptū in con-  
 ,, trarium reuulsionis, in omnibus talibus cōmune est.  
 ,, Neque igitur quum uel circa sedem, uel aliquam huic  
 ,, uicinam partem initiū phlegmonis incidit, aluum dei-  
 ,, cies: neq; quum in uesica, uel cole, uel renibus cœpta,  
 ,, pharmaca quæ urinas prouocēt, bibenda dabis. Nec  
 ,, si mulieri in utero uel pudendo infedit, menses huic  
 ,, prouocabis: sed ad partes quæ maxime longinquæ  
 ,, sint, semper reuulsionem facies, æstīmata scilicet tum  
 ,, phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu.  
 Galeni lo-  
 rus expli-  
 eatur. Hactenus Galeni uerba optima fide recitauimus, ut  
 scilicet æquus Lector ex ijs planè genuinum sensum  
 discere possit. Si autem exacte eorundem contextum  
 expendas, liquido cōstat Galenum ijs uerbis aliud ni-  
 hil uoluisse, quàm quod monuerit, ut diligenter admo-  
 dum medicus caueat, ne in phlegmonū initio exerci-  
 tjs

t̄ijs, frictionibus, aut medicamentis ad laborantē phleg-  
 mone particulam humorum præter naturam fluxum  
 atq; impetum trahat, quod scilicet singula hæc phleg-  
 monē ipsam, atq; adeò calorem, dolorem, tensionē, ac  
 defluxionem augere nata sint. Id quod euidentissime  
 etiam ex uerbis paulo post sequentibus colligere lice-  
 bit, ubi in eum modum scribit: Non ratio solum, ue-  
 rum etiam experientia ipsa indicat, aliam aliq̄ parti u-  
 cuationem congruere. Siquidem ex ijs quibus oculi  
 phlegmone tentari cœperant, nonnullos sola purga-  
 tione per aluum uno die sanatos uidisti. Quam rem si  
 quis in iecinore quū phlegmone laborare incipit, ten-  
 tet, maximam efficiet phlegmonem: æquē ut si quum  
 in renibus aut uesica incipit, quæ urinas cient exhil-  
 beat; aut si quum uterus phlegmone laborat, menses  
 deuocet. Siquidem longissime ab ijs partibus, quæ flu-  
 xione tentari incipiunt, reuellere superuacua, nequa-  
 quam ad eas trahere conuenit. Quibus utiq; uerbis  
 haud secus atq; prioribus accurata diligentia monet,  
 ne medicamentis ad partem phlegmone ac fluxione  
 tentatam superuacua trahamus. Atq; adeò mirari sa-  
 tis non queo, cur iam citatis Galeni uerbis nostrā sen-  
 tentiam oppugnari posse Brachelius existimet: cum ta-  
 men & nos ingenue fateamur, à tentata phlegmone  
 parte quàm longissimè reuellendum, & nequaquā ad  
 eam trahendam esse. Quare cum nobiscum hæc Gale-  
 ni uerba nihil pugnēt, minime opus erit, ut uarias eua-  
 dendi uias quæramus, aut ad nescio quas distinctio-  
 nes confugiamus: quando aperte dicamus omnia ea  
 quæ affectam phlegmone partem uel calefaciēdo, uel  
 irritādo lædere possunt, longissime abesse debere. Ce-  
 terum nō necesse est, ut in presentia, num uena oppo-  
 sita sit ea quæ è directo lateris affectū est semotior, digla-  
 diamur.

Ab affecta  
 phlegmone  
 parte reuel-  
 lendum.



Petrus Bris  
sotus.

Venæ se-  
ctio, è dire-  
cto partis  
affectæ sita  
est reuulsio.

diemur, nam eandem esse distantiam ab affecto loco ad utraq; uenas, reconditæ eruditionis uir Petrus Brissotus abunde iam monstrauit. Illud igitur potius excutiendum erit, si præceptum hoc Galeni de auersione in maxime longinqua ad sanguinis missionem trãfferri posse demus, num ideo nostram sententiam explosum iri contingat. Nos certe firmissimis rationibus nihil nobis inde incommodi accedere posse demonstrabimus: idc̃p ubi fecerimus, sentiet Brachelius, quàm probe præceptorum Galeni sensum assequamur, quamc̃p toto ipse aberrerit coelo, sicul hoc̃p clauo nos tentauerit. Quod ut commode ac ordine fiat, primum omnium uenæ sectionem, quæ è directio partis affectæ sit, esse reuulsionem docebimus hunc in modum: Omnis euacuatio quæ ad contraria fit, est reuulsio: uenæ sectio quæ è directio partis affectæ adhibetur, ad contraria fit: igitur reuulsio existit. Maior Galeni autoritate firma est, ut qui reuulsionem dicat esse uacuationem, quæ ad contraria fit. Minor, nimirum Venæ sectionem quæ è directio partis affectæ fit in contrarium trahere, notior ferè est quàm ut demonstrari debeat. Nemo enim est qui nesciat, quod humores planè in contrarium quàm antea fluebant trahat. Nam sanguinè in uenam cauam ex minorib, reuellit, & ab internis ad externa euocat. Reuulsionem uero esse, dum ea quæ intrò tendunt foras trahuntur, Galenus palàm in libro de Reuulsione ijs uerbis declarat: In summa reuulsio molienda est humoribus sursum fluentibus, deorsum: deorsum uero, in contrarium: intrò autem uergentibus, foras. Et lib. 5. The. meth. ubi sic ait: Reuulsio in ijs quæ supra sunt omnibus, deorsum semper agitur, sursum in ijs quæ sunt infra. Præterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursum ad illa. Similiter ex ijs quæ intus habentur, ad ea quæ

quæ foris sunt, contraq; ab his ad illa. Deniq; retrahitur per prædictam uenæ sectionem humor ab ea parte, ad quam præter naturā fluit, ad eum locū ad quem quandoquidem per illum uacuetur, cōmodissime tendit. Atqui obtrudet fortè nobis Galenum Brachelius, qui in expositione 68. Aphorismi, libri quinti, eam quæ è directo fit reuulsionē cum cæteris eiusdem speciebus non expressit, atq; adeò in reuulsionū numero non habuit. Ad quam quidem obiectionē sic respondemus: Quamuis Galenus eam hoc in loco omiserit, nec nominatim expresserit, non tamē propterea sequitur, quod eandem in reuulsionū numero non habuerit, cum nihil sermoni suo quod illā excluderet adiecerit, sed potius sub generali reuulsionis descriptione complexus sit; reuulsionem esse dicens, uacuationem, quæ ad contraria fit. Quod si tamen contendat, id quod minime poterit, omnem reuulsionem sub triplici illa diuisione Galenum comprehēdisse, dicemus hanc de qua loquimur, uel ad eam quæ à dextro ad sinistrū, si in sinistra parte fuerit phlegmone: pars enim sinistra brachio eiusdem lateris comparata, ad dextrā partem uergit: uel ad eam quæ à sinistro ad dextrū fit, atq; adeò ad secundum genus inibi recitatum, hoc est ad reuulsionem, quæ secundum latitudinem fit, esse reuducendam. Quamuis quorsum attinet sic respōdere, cum idem Galenus in libro de Reuulsionē, & quinto The. meth. longè plura quàm tria reuulsionis genera cōmemoret, inter quæ etiā illa quæ ab intro uergentibus foras fit, nominatim refertur. Sed instabit iterum quispiam: Venæ sectio quæ è directo partis affectæ fit, sanguinem in inflammationis loco uel uenis illi proximis contentum euacuat; igitur reuulsio dici nō potest. Sequelam certe hanc non agnosco, neque enim inui-

Obiectio.

Responso.

Obiectio altera.

Responso.



Reuulsio et  
uacuatio nõ  
pugnant.  
Obiectio.

Responsio.

cem pugnant reuulsio & uacuatio: id quod uel reuulsio-  
tionis definitio abunde docere potest, quæ hæc esse ua-  
cuationem quæ ad contraria fit innuit. Verũ rursus  
instabit alius dicens, fateor quidem reuulsioneẽ esse ua-  
cuationem, quis enim nisi planè mente captus sit id ip-  
sum negare posset: atqui non eam quæ ex phlegmonẽ  
patientem particula, sed potius ex maxime distante ua-  
cuat. Huic sanè pro me Galenus respõdebit, qui ma-  
nifestissimis uerbis eam quæ ex affecta particula ua-  
cuat uenæ sectionem, nominat reuulsioneẽ multis in  
locis, potissimum autem lib. 13. The. ubi in eum mo-  
» dum scribit: Quoniã uero, ut semper dicimus, non fa-  
» tis est ipsa tantum uniuersalia nouisse, nisi quis etiã in  
» particularibus se exerceat, ita utiq; & nos nunc facie-  
» mus: non tamen omnia particularia percurrentes, sed  
» ea tantum quæ nobis necessaria Lectori uidebuntur.  
» Ponatur itaq; iecur iam phlegmonem contrahere cõ-  
» pisse, & quæ nam mali eius commodissima sit curatio  
» queratur. Omnium ergo primũ ab ijs quæ retuli inci-  
» piens, an totum corpus uacuatiõne indigeat confide-  
» rato. Quod si indigere inueneris, dein agri uirtutem  
» æstimato, possit'ne confertim factam uacuatiõnem to-  
» lerare. Primũ ergo ualida uirtus esto. Ab hac contem-  
» plare ætatem: nam si puer sit, quæ per uenæ sectionem  
» fit uacuatiõnem non feret. Verum quum pubertatis  
» tempus attigerint, pueri iam per missiõnem sanguinis  
» uacuatiõnem tolerant. Ergo pariter & reuellendus &  
» uacuandus qui ad iecur fluit sanguis est, interna in  
» dextro cubito secta uena: propterea quod et è directo,  
» & per latam uiam cum uena quæ caua dicitur societate  
» habet. Hic certe unus locus sufficeret, ex quo aper-  
» te ostendere liceret inter iniitia inflammatiõnũ, statim  
» & reuellendum & uacuandum esse per sectionẽ uenæ  
» quæ

quæ è directo est. Loqui enim Galenum hic de principio inflammationis hæc uerba, Quæ nã eius malì cõmodissima sit curatio, planum faciunt. In Græco enim sic habet, *ἡπιότα τῆς ἀρίστης θεραπείας γένησεται τὸ πάθος.* Quis uero est qui nesciat Galeno pathos esse, dum aliquid conuertitur, mutatur, alteratur, mouetur? Loquitur itaque de inflammatione ea quæ adhuc fit, nam illa pathos dicitur: & minime de ea quæ iam facta est. Id quod etiam precedentia uerba, *ὑποκείσθω τοῖνυν ἡ πῶτα ἀρχόμενον φλεγμαίνον*, abunde euincunt. Accedit quod dicit, sanguinem *φλεγόμενον ἐπὶ τῷ ἡπιαρ*, hoc est sanguinẽ qui fluit, nõ qui fluxit ad iecur, esse pariter & reuellendum & uacuandum. Videant iam aduersarij, an non euidentissime demonstraauerimus, Galenum in principio inflammationum uenam quæ è directo est secundam esse docuisse. Atq; obijciat forte Brachelius, diuersum accidere in alijs inflammationibus, præsertim autem pleuritide. Ego tamen diuersitatẽ hanc non agnosco, neq; intelligo. Nullam autem prorsus esse diuersitatẽ, idem Galenus alio in loco ostendit: ubi eam uenæ sectionem quæ in pleuritide è directo secatur, & reuellere & euacuare simul euidentissime asserit. Locus est in li. 2. de Ratione uictus in morbis acutis, commentario decimo, ubi sic scriptum reliquit: Pro eorum qui inflammationẽ efficiunt humorum inclinatione, Hippocrates uacuationes facit, hoc enim: Quò natura tendit, per loca conferentia ducere oportet: uerissimum existit. Contingit autem interdum id pro uarietate partium membranę, quę costas cingit. Superioribus enim eius partibus inflammatione affectis, ad iugulum, brachium & mãmillam cõsensum extendunt. Inferiorib; uero, ad septum transuersum & hypocondrium, Quum igitur superiora cõsensum significauerint,

Obiectio.

Responsio.



„ rint, uenam in cubito secare eam oportet, quæ sangui-  
 „ nem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuelle-  
 „ re, tum uacuare possit. Hæc Galenus. Nō uero de alia  
 quàm ea quæ è directo est uena loquutum esse Gale-  
 num, manifestius est quàm ut à me doceri debeat. Op-  
 posite nancq; uenæ sectio reuellit quidem, at à loco affe-  
 cto nihil uacuat, id quod Brachelius etiam non inficia-  
 bitur. Et quid multis opus est uerbis? Galenū non in-  
 ternam oppositi brachij uenam intellexisse, ex lib. 4.  
 Vict. acut. morb. Aph. 67. satis constabit: ubi & Hip-  
 pocrates, & ibidem in commentarijs Galenus internā  
 uenam brachij eius lateris, quod dolore fuerit affectū,

*Obiectio.* secandam esse aperte fatent. Sed dicit aliquis: Si una  
 & eadem uenæ sectio uacuat simul & reuellit, sequitur  
 quod idem respectu eiusdem sit propinquū & distans,

*Responsio.* id quod impossibile existit. Respondeo, minime, nā  
 uenæ sectio quæ è directo fit cum ad contraria, atque  
 adeo ad longinqua trahat, reuulsio est, & minime deri-  
 uatio, ideoq; propinqua dici non potest, non minus  
 enim à loco affecto distat cubitus brachij è directo po-  
 siti, quàm illius qui ex opposito est, ut supra etiam retu-  
 litus. Proinde cum hæc uenæ sectio, de qua nunc agi-  
 mus, reuulsio duntaxat sit, & non deriuatio; neque  
 enim fieri potest ut eadem uenæ sectio simul reuulsio  
 & deriuatio sit, ut non sine pudendo errore Brache-  
 lius putat: consequi haud potest, ut ea propinqua & di-  
 stans remotaue simul dici queat. Iam itaque euidentis-  
 simis argumentis ostensum est, uenæ sectionem quæ  
 in brachio è directo posita fit, in reuulsionis numero  
 merito habendam esse, adeo ut nisi planè stupidus aut  
 saxeus sit Brachelius, in sententiam nostram descen-  
 dat necesse est. Verum ut prorsus rem hanc demon-  
 stremus, age ex ipsius Hieremiæ uerbis esse reuulsio-  
 nem

nem euincemus hoc modo. Venæ sectio è directo par-  
tis affectæ facta ad contraria fit, igitur ad maxime lon-  
ginqua, Antecedens in præcedentib, abunde demon-  
strauimus. Consequens Brachelij uerbis, qui maxime  
longinqua Galenum libro quinto Ther. meth. lon-  
ginqua & contraria nominare fatetur, satis firmum  
erit. Sed eiusdem uerba, quæ huiusmodi sunt, subijcie-  
mus. Atque ita considerantibus hoc facile in mentem  
illis uenisset, quod ea hic maxime longinqua uocauit,  
quæ in quinto The. metho. sursum deorsum, dextror-  
sum sinistrorsum dixit: quæ ibidem etiam longinqua  
appellauit, eisdem exemplis explicauit, & contraria  
nominauit. Hac Brachelius. Ex quibus equidem  
uerbis sole clarius fit, reuulsionem, quæ per uenæ se-  
ctionem factam è directo fit, atque ab interioribus ad  
exteriora trahit, inter maxime longinqua, Hieremiæ  
etiam sententiã, connumerandam esse. Si enim Gale-  
nus sursum deorsum, dextrorsum sinistrorsum, lon-  
ginqua dixit: negare non poterit, quin & ea uenæ se-  
ctio, quæ ab interioribus ad exteriora trahit, inter lon-  
ginqua sit numeranda, quando omnibus constet, Ga-  
lenum, ut ex uerbis eiusdem quæ supra ex 5. The. me-  
tho. produximus, satis liquet, eam etiam reuulsionem  
quæ fit ab ijs quæ intus habentur, ad ea quæ foris sunt,  
iam dictis cõiungere. Et ne multis morer, quid me her-  
cle longinquiùs dici potest, quàm id quod extra corpus  
trahit, nõ uideo. Manifestissimũ igitur est, reuulsionẽ  
quæ è directo fit, æquẽ atq; illã quæ ex opposito, ad lon-  
ginqua fieri. Atq; dicet Brachelius, fateor utranq; ad  
longinqua fieri: attamẽ ea quæ à dextris ad sinistra, uel  
cõtra à sinistris ad dextra fit, ei quæ è directo præponẽ-  
da erit. Id certe ille ostẽdere debebat: neq; frustra in re  
cõfessa, uerba et tẽpus pdere. Non esse aut in interiorũ  
uiscerum

Obiectio.

Responsio.



*Reuulsio è  
directo par  
tis affectæ  
facta, ei  
quæ ex op  
posito fit  
præferenda.*

*Tractus &  
expulsio,  
per quas ue  
nas expedi  
te fiant.*

*Venæ sectio  
in distanti  
sima facta  
quid effi  
ciat.*

*Venæ sectio  
ex opposi  
to quid  
possit.*

uiscerum inflammationibus eam quæ ex opposito fit reuulsionem, illi quæ è directo agitur præferendam, sic monstrabimus. Suprà ostensum est, naturæ potius distantiam quàm positionis ad reuulsionem requiri: quamuis etiam hanc non omnino negligendam esse dixerimus. Non oportet itaq; omnè reuulsionem ad partes maxime distantes peruenire, sed satis est eandè cōtrario quàm fiat defluxio fieri modo. Hinc accidit, quod etsi nō semper ad ea quæ maxime distant, sed ad mediã quæ illis sunt propinquiora, fiat reuulsio, nihilominus tamen semper uersus cōtrarium fieri dicitur: quod nimirum ad eas, quæ è contrario fluxionis sitæ sunt, partes trahat. Sic sanè in sanguinis ex narib. profluuio incisa cubiti qui è directo est uena, adhibitisq; hypochondrijs è regione litis cucurbitulis, retractio fit uersus inferiora, non tamen ad infima usque. Ceterum cum tractus & expulsio humorum à natura optime & expedite fiant per eas uenas, quæ cum loco affecto societatem cōmunitatem ue obtinent, ut experientia & Galenus multis in locis paulo pōst producendis docent: sequitur, ut hoc nomine reuulsio quæ è directo fit, ei quæ ex opposito agitur, in internis inflammationibus sit modis omnibus præponenda, quandoquidem in ijs retractio, quæ ex opposito aut distatissimis fit partibus, satis esse non possit. Nam quæ ex distatissimis fit, ea sanguinem uitiosum neq; uacuat, neq; etiã à loco affecto, nisi imbecilliter & tardissime, inq; partes sanas trahit, uicinus enim tantum sectioni sanguis uacuatur, humorum prauitate, calore, doloreq; quæ postea iterum ad defluxionem mouendam insurgunt, remanentibus. Venæ autem sectio quæ ex opposito fit latere, proximum, atq; adeò optimum solùm sanguinem, haud secus atq; prior, uacuat: in cuius lo  
cum

cum paulatim succedit uitiosus, & uires deſciuntur,  
 ægerq; à morbo nihil leuatur, ac ita periculum transi-  
 tionis morbi in alterum latus imminet. Et quod om-  
 nium maximum est, si altera sanguinis missio quæ è di-  
 recto fit subsequatur, tum iterū pars sanguinis uitiosi  
 aliò translata ad inflammationis locum partemq; affe-  
 ctam retrahitur, nec tamen euacuatur: quemadmodū  
 fufius etiā ante me Briffotus, (uir, ne multa dicam,  
 longiora uita dignus) demōstrauit. Hinc est quod Ga-  
 lenus in Cōmentario decimo secundi libri de Victus  
 ratione in morbis acutis, sic scriptum reliquerit: Va-  
 cuationes quidem undecunq; fiant, ab uniuerso ani-  
 malis corpore uacuare nosti, quanq; neque celeriter,  
 neque similiter ex omnibus uenis. Nos uero partem  
 eam quæ phlegmone laborat, tum celeriter, tum plus  
 quā cæteras partes, præsertim in morbis acutis, ua-  
 cuare studemus. quod sanè interna cubiti uena effi-  
 cit. Quibus uerbis palām declarat, in internis inflā-  
 mationibus eam quæ è directo fit uenæ sectionem, ei  
 quæ ex opposito agitur præferendam esse, utpote quæ  
 à phlegmone laborante loco celeriter, & magis quā  
 à reliquis partibus reuellat ac uacuet. Id quod clarius  
 in libro de Curandī ratione per sanguinis missionem,  
 in hunc modum scribens docuit: Quibuscunq; secun-  
 dum rectum eruptio sanguinis accidit, hæc summum  
 egrotantibus commodum affert. Quod uero κατ' ἴξιν,  
 pro eo quod est secundum rectum dicat, omnibus in  
 confesso est, cum aperte hac uoce κατ' ἴξιν in hoc signi-  
 ficatu sæpenumero utatur. Quibus autem contra san-  
 guis erumpit, nihil iuuat, aut etiā interdum nocet,  
 quod uires scilicet citra mali letamē deſciat atq; exol-  
 uat. Neq; enim in liene tumido ex dextra nare erum-  
 pens sanguis, nec in iecore ex sinistra aliquā affert uti-  
 litatem,

Briffotus.



,, litatem: sed reuulsio in directum adhibita, euidentem  
 ,, utilitatem celeriter ostendit: quæ autem contrà, nequa  
 ,, quam. Dextra igitur nare sanguinè erumpentem, ad  
 ,, dextrum hypochondrium fixa cucurbitula clarè celeri-  
 ,, terq; sistit: sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpentem.  
 ,, Porrò reuulsionis causa si uenam feces in ijs, quæ è di-  
 ,, recto fiunt sanguinis eruptionibus, uelociter conspi-  
 ,, cuam uidebis utilitatē. At si contrà feces, nullam pror-  
 ,, sus. Sic igitur & liene affecto, eius quæ circa medium  
 ,, digitum sinistrae manus uenæ sectio, æquè atque si in-  
 ,, ternam cubiti uenam secueris prodest. Multum enim  
 ,, iuuat male affectum lienem, sanguinis ex sinistro bra-  
 ,, chio detractio. Hacenus Galenus. His autem uer-  
 ,, bis palàm docet atque monet, ut medicus in suis reuul-  
 ,, sionibus ac euacuationibus naturã imitetur, quæ sem-  
 ,, per motum ac impetum suũ, si bonus est, in directum  
 ,, facit. Atq; adeò hoc potissimum nomine uenæ sectio-  
 ,, nem, quæ è directo loci affectu fit commendat, quia sci-  
 ,, licet celeriter & reuellat & uacuet. Eam autem, quæ ex  
 ,, opposito fit damnat, quod nimirum uires, quãdo qui-  
 ,, dem sanguinem optimum (qui ueluti thesaurus natu-  
 ,, ræ corporis est) uacuet, citra morbi letamen deiciat.  
 Id aut uelle Galenum, uerba quæ statim subiungit ma-  
 ,, nifeste confirmant, dum sic ait: Quin & in pleuriticis,  
 ,, quæ è directo laborantis lateris sanguinis missio, effi-  
 ,, cacissimam sepe numero utilitatem ostendit. Ex oppo-  
 ,, sita autem manu, aut omnino obscuram, aut post tem-  
 ,, poris interuallum. Ad hæc oculorũ persæpe uehemen-  
 ,, tissimos dolores è directo uenæ & humeralis nomina-  
 ,, tæ sectio intra horæ unius spacium compescuit. Et  
 ,, deinceps: Sic efficacem celeremq; interdum utilitatē,  
 ,, quæ è directo affectis partibus uenæ secantur afferunt;  
 ,, ut & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpe obstu-  
 ,, pescant.

pefcant. Exiſ omnibus nemo non ſole clarius intel-  
 ligit, Galenum ſtatim etiam inter morbi initia, uenam  
 quæ è directo eſt, ei quæ fit ex oppoſito præferre. Neq; nobis obſtat, quod Brachelius Galenum in priore lo-  
 co à nobis producto, dicat de ſanguinis eruptione nõ  
 tanquã reuulſorio, ſed iudicatorio auxilio loquutum  
 fuiſſe: imò ſententiã noſtrã potius confirmat. Cum  
 enim naturam in morborum iudicationib; ſanguinis  
 excretiones utiles ſemper è directo fieri uideamus, cur  
 nos eiufdẽ miniſtri in uitioſo reuellendo atq; uacuan-  
 do ſanguine hanc non imitaremur? Hoc iterũ in lo-  
 co mirum in modum hallucinatur Hieremias, quod  
 reuulſionem aliquando cum deriuatione incidere pu-  
 tet, ut enim idem eiufdem reſpectu remotũ & propin-  
 quum eſſe non poteſt, ita nec eadem uenę ſectio, reuul-  
 ſio & deriuatio dici poteſt: quod hæc (ut diximus) ad  
 uicina, illa uero ad longinqua fiat. Sic perpetuo Bra-  
 chelius & alij quoq; eiuf Galeni ſententiæ aduerſarij,  
 in reuulſionis & deriuationis uocibus miſere cæcu-  
 tiunt. Iterum inſtat Brachelius, dicens Galenũ eua-  
 cuantem à liene potius uenam quã reuellentem in-  
 quiſiuiſſe. Atqui ſciat, nõ uacuantẽ ſolum, imò eam  
 potius quæ utrunq; hoc eſt à loco affecto & reuellere  
 & uacuare poſſit, inquiſiuiſſe. Quare ridiculum eſt,  
 quod Hieremias uacuationem eam ſolam uocat, quæ  
 ex ſecta parte laborante fit. Ridiculum etiã, quod ua-  
 cuationem cum reuulſione pugnare arbitrat: cum  
 tamen omnis reuulſio, quæ fit per uenę ſectionem, ut  
 pueris etiam perſpicuum eſt, uacuatione ſit. Et quam-  
 uis antea abunde nobis monſtratum ſit, uenę ſectio-  
 nem, quæ ex latere è directo poſito ſit, eſſe reuulſionẽ,  
 tamẽ ut res fiat omnium maxime perſpicua, ad priora  
 unum locũ Galeni adiiciemus, in quo ipſa ſanẽ exem-

Obiectio.

Reſponſio.

 Reuulſio  
 nõ coincidit  
 cum deriu-  
 tione.

Obiectio.

Reſponſio.



pla, quæ ille affert, palàm testantur reuulsionem in internis inflammationibus semper esse è directo faciendam. Is habetur in lib. 2. ad Glauconem, ubi sic scriptum reliquit: Influentium adhuc humorū reuulsio; sic enim Hippocrates nominat; earum autem fluxionum quæ iam partē obsederunt, deriuatio medela est. Vtrunq; autem euacuationis genus per cōmunes uenas fieri præcipit. Ex quibus equidem uerbis palàm fit, tam reuulsionem quàm deriuationē per uenas eas quæ societatem cum loco affecto habent, fieri debere. Id quod sequentibus etiam uerbis & exemplis declarat, dicens: Et si quidem dextra uteri pars affecta fuerit, ex dextra manu, aut crure sanguinem detrahes. Si uero sinistra, à membris quæ illi in rectum sunt. Quod enim ab ipso Hippocrate *κατ' ἴσιν* dicitur, hoc ipsum est secundum rectitudinem. Interiores autē uenas incidere oportet, hæ enim uiciniores, & magis è directo sunt affectis partibus. Nam si liene inflammationem patiente sanguinem uis uacuare, interiores in manu sinistra uenas secato; & si iocinore, eadem ratione in dextra. Si quid uero ex superioribus inflammatione affectum fuerit, ueluti in anginis & ophthalmijs, & quæcunq; circa caput sunt, eas quæ extrinsecus sunt atque è directo. Membris autem patientibus à coniunctis euacuatio fienda, siue reuellere, siue deriuare uelis. Ex ijs Galeni uerbis omnibus innotescit, eum reuulsionē illam quæ fit ex coniunctis, societatemq; cum loco affecto habentibus uenis, quæ non sunt aliæ nisi quæ è directo sunt positæ, huic quæ ex oppositis aut distantissimis fit, modis omnib. antepone: idq; ob nullas alias causas, quàm eas quas antea commemorauimus, quod nimirum ea quæ ex oppositis fit, uires citra ullum leuamen mali deiciat & exoluat, sanguinē bonum.

num & uitio carentem euacuâdo. Quare cum hoc no-  
mine nihil egrotantibus conferat, sed potissimū si post  
eam ex affecto latere sanguis detractus fuerit, quod sci-  
licet ita uitiosus sanguis, (ut supra diximus.) iterum in  
affectam partem trahatur, omnium maximè obsit: meri-  
to ea quæ è directo fit reuulsio, magis deligenda erit.

Sed hic iterum instat Brachelius, eam uenæ sectionem  
quæ è directo fit, esse affectæ parti uicinam: igitur non  
esse præferendam. Neque enim è uicino purgatio tan-  
tum, sed & incisio aliunde materiã ad locum affectum  
rapit, quo nullum est præsentius, neque aliud malum  
exitiosius.

Respondeo: hanc obiectionē locum esse  
habituram, si constaret nos fateri, uenæ sectionem cu-  
biti è directo positi esse incisionem quæ è uicino fit. Ve-  
rum id neutiquam concedemus, quando in hac inci-  
sione tantum distantia esse omnibus perspicuum sit,  
ut in contrarium planè quàm antea fluebant humo-  
res trahi queant. Quum itaq; nos neq; in ipsa parte do-  
lente, neq; in ea quæ illi contigua aut proxima est, sed  
in cubito qui è directo est incisionem moliamur, nõ est  
cur hæc ratio Hieremiæ locū hic habere possit. Quod  
si tamen iterum maiorem distantia requirat, atq; adeo  
longius à loco affecto esse retrahendum clamet, nos  
contrà dicemus hanc uenæ sectionem ad longinquis-  
sima auersionem moliri, cum foras & extra corpus ui-  
tiosum sanguinē trahat: qua certe tractione nihil esse  
potest magis longinquum.

Porrò quod haud satis  
fideliter à Briffoto Cornelij Celsi locum citatum esse  
Brachelius asserit, id præter æquum facit. Neq; enim  
uerum est quod scribit, Celsum antiquorum de reuul-  
sione in maximè longinquum præceptiones à phlebo-  
tomia minime separasse, sed tantum non recepisse.  
Nam quomodo non separat, qui non solum non reci-

*Obiectio.*

*Responsio.*

*Venæ sectio  
quæ è direc-  
to fit, non  
fit è proxi-  
mo.*

*Cornelij  
Celsi locus  
expeditur.*



pit, imò etiam falsum esse id ipsum palàm affirmat.  
 Errat denique, quod antiquorum præceptiones uo-  
 cat, quæ sunt potius chirurgorum, & eorum medico-  
 rum qui usum potius quàm rationem sequuntur. Cel-  
 sum enim non antiquos, ut perperam affirmat Bra-  
 chelius, sed indoctos potius, & eos qui semper in di-  
 stantissimis à loco affecto partibus sanguinem mitten-  
 dum esse contendebant perstringere, ex illius uerbis,  
 quæ ob id subiiciemus, manifestissimum erit. Sic enim  
 » inter cætera inquit: Neque ignoro quosdam dicere,  
 » quàm longissimè sanguinẽ inde ubi sedit esse mitten-  
 » dum. Sic enim auerti materiæ cursum, at illo modo in  
 » id ipsum quod grauat euocari. Sed id ipsum falsum est.  
 » proximum enim locum primo exhaurit: ex ulteriori-  
 » bus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emitti-  
 » tur. Vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne uenit  
 » quidem. Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fra-  
 » ctum est, ex brachio potius sanguinem mittendum.  
 » Si quod in humero uitium est, ex altero brachio: cre-  
 » do quia si quid parum cesserit, opportuniore hæ par-  
 » tes iniuriæ sunt, quæ iam male habent. Hactenus  
 Celsi locum ex cap. 9. libri secundi integrum retuli-  
 mus: ut scilicet omnes uideant, non antiquos omnes  
 à Celso notatos esse, sed quosdam tantum medicos,  
 usum sectantes potius quàm rationem: & ut intellige-  
 rent studiosi, Brachelij, non nostram de reuulsione ab  
 eodem damnari sententiam, ut qui nihil habeat, quod  
 illi suffragari possit, præter usum: quem hoc potissi-  
 mum sæculo à ratione atq; adeò ueritate ipsa plurimũ  
 deuiare, uel testimonio ipsius Brachelij euincemus.  
 Hactenus usus apud omnes ferè medicos obtinuit, ut  
 podagra affectis quauis hebdomada, imò alternis pro-  
 pè diebus catapotia purgandi uentrẽ gratia deuorãda  
 exhibeant.

*Usus ferè  
 semper no-  
 stro hoc tẽ-  
 pore à ueri-  
 tate deuiã-  
 re solet.*

exhibeant. Hunc tamen usum, ut cunq; multi sequantur, ut perniciosum damnat Hieremias. Par ratione hucusq; omnium barbarorum medicorum libri nobis tanquam infallibile decretum prescripserunt, ut coena prandio minor esset: hoc tamen in uniuersum minime uerum esse, nobiscum recte contendit Brachelius. Proinde non satis mirari possum, cur hoc loco ad usum tanq; ad sacram ancoram cofugere uoluerit Brachelius: cum tamen alias hunc tanq; perniciosum damnare nihil metuerit. Atqui ad quauis potius inuia deflectere solent, qui recta ire nolunt. Caeterum neq; sibi patrocinari putet Celsum Hieremias, eo quod ex altero brachio, si quod in humero uitium est, sanguinem mittendum esse dicat. Nam ut omittamus, nobis in praesentia nullam de externis inflammationibus, esse cum Brachelio disceptationem, tamen maxime illius sententiam, quod statim post haec Celsi uerba sequitur, impugnare uidetur: id scilicet ideo tentasse quosdam, quod si quid paru cesserit, has partes quae iam male habent iniuriae opportunitiores esse duxerint. Nam si hanc rationem ad interiorum etiam uiscerum inflammationem detorseris, quid quaeoso absurdius dici aut fieri posset: cum haec quamprimum ab iniuria uindicare oporteat, quod scilicet iniuriae inopportunissima sint, diuersa certe ratione q; externa, quae illas ferre citra uitae humanae periculum queant. Non est itaq; ut eandem esse differentiam inter hepar & latus, seu, ut apertius dicam, costas subcingentem membranam existimet Hieremias: quod utraq; pars interna sit, neque altera illarum, ut humerus externa. Quapropter si inflammatione tententur, ambe quamprimum medico ab iniuria per sectionem uenae internae, quae est directo est, uindicandae ueniunt. Atque haec sane ratio est, quare dextra costa potius quam humerus dexter,

*Interna partes statim ab iniuria uindicanda.*



Quo sensu  
uerum sit  
reuulsionē  
oēm ad ma-  
xime longin-  
qua fieri  
debere.

Cōtraria et  
maxime longin-  
qua quæ

Galenī lo-  
cus enar-  
ratur.

dexter, ad dextram reuulsionem requirat. Præterea non est quod impensius gloriatur Brachelius, se non solum autoritate, sed & ratione omnem in maxime longinquum fieri debere reuulsionem monstrasse. Si enim per maxime longinqua, non quæ maxime à loco affecto distant, sed contraria intelligit, tum idem quod nos sentit. Quum itaque hoc sensu illi donemus, omnem reuulsionem fieri debere ad maxime longinqua, non habet de quo merito gloriari possit aut debeat. Sciat tamen, recte loquenti contraria non idem significare, quod maxime longinqua; quod illa generis, hæc uero speciei rationē, ut supra etiam diximus, habeat. Hinc est quod omnia maxime longinqua sint contraria, non tamē contrā omnia contraria sunt maxime longinqua. Aliqua enim contrariorū sunt, quæ longinqua simpliciter dicuntur. Deniq; ridiculum est, quod non æquam esse costæ hepaticæ cum superioribus contrarietatem, ex lib. 5. Galenī de Tuend. uale. ostendere conatur; cum tamē Galenus ibidem ne uerbo quidem missionis sanguinis meminerit, sed tantū quod imbecillioribus corporis partibus exercitia non sint iniungenda docuerit. Et ut paucis dicam, cum omnimoda quies corpori non parum incōmodi afferat; quæ partes, alijs iam affectis, exercitandæ sint, atq; ad quas earundem superuacua reuellenda sint, eo loci indicauit. Quare si is Galenī locus recte expendatur, Brachelio unice aduersabitur. Si enim partes quæ circa thoracem sunt, magis inferiorum exercitatione iuuantur, quod illis contrariæ sint; igitur etiam uenarū, quæ in partibus inferioribus sunt sectio, ubi ea quæ circa thoracem existunt phlegmone laborant, proderit. Atque adeo in pleuritide crus potius quàm brachium oppositum incidendum erit. Videat itaque Brachelius,

lius, in quas angustias seipsum cōiecerit. Quapropter  
 consultius multo fuisset, si ex qua parte sanguis mitten  
 dus esset, inflammatione affectis partib, corporis, de  
 monstrare uoluisset, ut id ipsum non ex libro de Tu en  
 da ualetudine exemplo exercitationum, sed potius ex  
 libro de Curandi ratione per sanguinis misionē, ubi  
 Galenus hāc rem ex professo tractauit, docuisset. Hic  
 enim ubi omnem uenæ sectionem ē directo laboran  
 tium partium fieri debere planū fecisset, mox quæ ue  
 næ affectis partibus thorace superioribus incidendæ  
 sint, ijs uerbis apertissime monstrauit. Dolentibus  
 oculis humeralis uocata, aut quæ ex ea deriuata est in  
 cubitum uena incisa, luculentum celeriter cōmodum  
 adfert. Latere uero affecto, aut pulmone, aut septo trās  
 uerso, aut liene, aut iecore, aut uentriculo, ea quæ per  
 alas ad cubiti iuncturam pertingit. Hoc autē casu inte  
 riorem maxime secare oportet: quod si non, certē ea  
 quæ ab ipsa diducta in iuncturæ apparet flexura. No  
 uistis sanē paulo ante ab humerali uena prædictam di  
 duci, connectentem ipsam. Nam hi tres sunt loci mit  
 tendi ex cubito sanguinis, interior, exterior, medius.  
 Igitur interior utilis est in ijs, quibus partes inferiores  
 collo patiuntur. Exterior uero in ijs, quibus quæ his  
 sunt superiores, ut facies, aut caput. Medius locus in  
 terdum utraq; habet diductas uenas, in ulteriorē ma  
 nus partē tendentes, ac deinde hic coeuntes: interim  
 uero celeriter in unum mutuo in ipso iuncturæ flexu  
 congregientes, ac nonnunquam clarā earum alte  
 ram, obscuram uero alteram. Itaq; ubi uena quæ parti  
 affectæ propria est obscurior fuerit, ad mediarum ali  
 quam accedas, eam quæ à propria diducitur incidere  
 magis conator. Est uero ubi & quæ inferiores sunt cu  
 biti iunctura, eas quæ in ulna scilicet existunt, nihil se

Quæ uenæ  
 affectis par  
 tibus thora  
 ce superiori  
 bus inciden  
 de.



*Que uene  
partib. tho-  
race inferio-  
ribus secan-  
de.*

33 care prohibeat, ubi nimirum quæ in cubito sunt non  
 33 appareant, sed eas certe quæ in rectum sunt affectis.  
 33 Porro tam perspicuam celeremq; utilitatem aliquan-  
 33 do quæ est directio affectis partibus uenæ secantur affe-  
 33 runt, ut & qui patiantur, & familiares ipsorum saepe  
 numero obstupescant. Paulò deinde post, quæ in  
 inferioribus thorace partibus uenæ incidendæ sint, ijs  
 uerbis docet: Hæc itaq; narratio utriusq; indicatio-  
 nem habet, tum quod in eiusmodi affectib. uenam se-  
 care oporteat, tum quod est directio laborantiũ partiũ:  
 præterea humerales uenas secandas, ubi superiores tho-  
 race partes laborant, Porro quemadmodum prædictæ  
 in cubito secta uena iuuantur, sic quęcunq; his inferio-  
 res, illis quæ in poplite aut malleolis sunt, Prædictis au-  
 tem inferiores coxendix, uesica, & uterus. At renes in  
 utranq; partem uergunt, ambiguntue. Siquidem infe-  
 riores sunt ijs quas prius recẽsuimus: superiores, quàm  
 eæ quas secundo loco. Itaq; misso ex cubito sanguini  
 interdum auscultant, ubi uidelicet recẽs fuerit phleg-  
 mone, & sanguinis multitudo affuerit. Quibus uero  
 affectio inest quam proprie nephritin nominant, eam  
 quæ in poplite est secare expedit, aut omnino eas quæ  
 in malleolis sunt, Vteri autem inflammationes magis  
 etiam quàm renum à uenis in cruribus sectis iuuantur.  
 Nam ijs quę ex cubito fiunt uacuationibus, aliud etiã  
 accedit malum, menstruas enim purgationes retinẽt,  
 sanguinemq; ad superiores corporis partes reuellunt.  
 Quæ uero ex cruribus fiunt, non solum reuellere, ue-  
 rum etiam menses mouere solent. Hos certe Galeni  
 locos producere Brachelium decebat, Atqui cum sue  
 sententiæ ex diametro pugnare uideret, uoluit potius  
 aliũ adferre, quo parum eruditus fucum faceret. Nam  
 ex animo omnia protulisse in hac disceptatione Hieremiam,  
 miam,

miam, non facile mihi persuadeo: quum audiam hominem in primis ob singularem humanitatem, deinde etiam studium quo in legendis Galeni monumētis seruet, à multis prædicari, adeò, ut hoc nomine credam à nonnullis, quo in hunc disceptandi nobiscū campum descenderet, impulsū: aut potius maleuolorū Sophistarum eius humanitate abutentium, importunis precibus uictum aut expugnatum esse. Porro ex iam adductis Galeni uerbis, quæ uena in cuiusq; particule corporis phlegmone inter initia incidenda esset, docere potuisset Brachelius: neque ut aliò diuerteret, atque adeò quod ad institutum non facit produceret, opus erat. Quod si fecisset, haud tam imprudenter aberrasset, præcipiendo in recenti uteri nō secus quàm renum phlegmone, ad superiora esse reuellendum: cum diuersum planè in iam citata Galeni sentētia doceatur, nempe, uteri inflammationes magis etiam quàm renum à uenis in crure sectis iuari. Insuper mirari subit, quū iecinoris & lienis incipientes affectus recte ad suum brachium reuelli dicat, cur eandem reuulsionem in costæ inflammationibus non posse sufficere inficias eat, quum tamē eadem in utrisq; sit distantia, potissimum si in inferioribus costis fuerit phlegmone. Deniq; si in angina fatis est, contrarium morbo motum moliri, ut ipse fatetur, non multum naturali requisita locorum contrarietate: quapropter idem moliri in pleuritide non fatis erit, in qua scilicet per uenæ quæ è directo est sectionem, non solum ab affecta parte euacuare, uerum etiam humorum fluxionis uel impetum in contrarium uertere studemus. Errat præterea, quod reuulsionem in quibusdam capitis affectib. sæpissime cum deriuatione coincidere asserit: quum, ut iam sepe diximus, reuulsio ad contraria atque adeò longinqua, deri-

*In uteri inflammationibus uena in cruribus incidenda.*

*Reuulsio cū deriuatione non coincidit.*



*Fluoris potissimū contrarietas perpēdēda.*  
 uatio autem ad proxima fiat, nequit uero idem eiusdē respectu & remotum & propinquū esse. Recte autem sentit, quod non tam loci, quam fluoris sit pendenda cōtrarietas, & hoc ipsum est, quod nos etiā docemus; neque (ut ille arbitratur) nimis de locorum

*Obiectio.*

contraria oppositione certamus, quod aliās secum ex aduerso potius brachio, aut cum nōnullis magis Brachelio aberrantibus, ex opposito crure sanguinē mittendum esse contenderemus. Atqui ait, instans iuguli dolor, incumbens brachij grauitas, materiam ab inferiorib, ad superiora rapi, & non ē contrario monstrant; ideoq; per uenæ cubiti interioris qui ē directio est sectionem, humorum motus in contrariū fieri non

*Responsio.*

potest. Respondeo: hoc argumento seipsum iugulare Hieremiam. Si enim humoribus sursum fluentibus semper reuulsionem deorsum debere fieri cōtendit, in pleuritide certe, in qua iuguli dolor est, brachijq; grauitas, ex crure potius in rectum posito, quam brachio aduerso reuellendum erit: quod ita in contrariū, deorsum scilicet, humorum impetus uertetur. Videat itaq; ut rhetoricetur Hieremias, iam enim illi potius quam nobis reddenda est ratio, cur contrario postulato fluxu, crus quod ē directio est incidi haud debeat. Quare nō anxie inquirendum, num ab infernis uel super-

*Anxie inquirendum nō est, an ē supernis uel infernis fluxio fiat.*

nis in affectam partem humores contra naturam procumbant; sed hoc potius conandū erit, ut quam ocysime illos à parte phlegmone affecta & reuellamus & uacuemus. Proinde rectius in hunc modum Hieremias institisset: dolor iuguli, grauitasq; brachij sanguinem sursum tendere, & illic eiusdem copiam colligi demonstrant; igitur collecta sanguinis copia à particula laborante in contrariū trahenda, & celeriter uacanda erit. In hanc enim sententiam ratiocinatur ex Hippocratis

pocratis uerbis Galenus, Cōm. 10. lib. 2. de Ratione uic-  
 ctus in morbis acutis, inquiens: Vacuationes quidem  
 undecunq; fiant, ab uniuerso animalis corpore uacua-  
 re nosti. Nos uero partem eam quæ phlegmone labo-  
 rat, tum celeriter, tum plus quàm reliquas partes, præ-  
 fertim in acutis morbis, uacuare studemus. Quod san-  
 nè interna cubiti uena efficit, multoq; magis quādo re-  
 dundans sanguis ad superiora uergat, aut superiores  
 thoracis partes affectæ sint, tum enim in brachio &  
 mamma grauitas magis sentitur. Ex ijs satis innote-  
 scit causa, cur è directo positum crus secandum esse re-  
 nuamus: quod scilicet unicum hoc nobis studium sit,  
 ut iuxta Galeni consiliū, celeriter & plus à parte phle-  
 gmone affecta quàm ceteris reuellamus & uacuemus:  
 quod tantū abest ut ex cruris quod è directo est sectio-  
 ne assequamur, ut potius bonū sanguinem qui in crure  
 est, ut supra fufius retulimus, euacuemus, atque ut  
 paulatim in huius locū succedat uitiosus efficiamus.  
 Proinde cum ob nimiam distantiam uena in crure se-  
 cta, sanguinem à phlegmone laborante particula neq;  
 celeriter, neque plus quàm à reliquis partibus euacua-  
 re & retrahere possit, fit ut illā abhorreamus. Instat  
 iterum Hieremias, dicens: Distantiam causari non po-  
 testis, nam dum Galenus per cubitum podagram re-  
 trahit, remotior est: dum etiam in uertigine & morbo  
 comitali ex malleolo aut poplite reuulsionē molitur,  
 multo protractior. Respondeo: me mirari satis non  
 posse, qui fiat ut toties à præscripto sibi disputationis  
 scopo aberret Hieremias, quum nobis secum, ut iterū  
 atque iterum dicam, de interiorum uiscerum inflam-  
 mationibus disceptatio est: in quibus sanè ab initio sta-  
 tim, cum nobis non reuellendi tantū, sed & euacuan-  
 di intentio sit, uenam quæ è directo est secandam esse

Cur è dire-  
 cto situm  
 crus in pleu-  
 ritide incidi  
 haud de-  
 beat.

Obiectio.

Responsio.



Anteuertem  
do morbo à  
remotissi-  
mis etiã re-  
uellere li-  
cet.

In podagra  
uenã in cru-  
refecare nõ  
expedit.

contendimus. Et hoc etiam Galenus loco paulo ante citato per hæc uerba, Præsertim in acutis morbis, insinuare uoluit. In morbis siquidem comitiali & uertigine, Galenus reuulsionem molitur, ut hos anteuertat, atq; adeo ne fiant subinde prospiciat: quæ profecto reuulsio à remotissimis etiam fieri potest. Longe itaque alia ratione in internorum uiscerum inflammationibus, quàm in dictis capitis affectibus, reuellimus. Nam in illis nõ reuulsione tantum, imò etiam euacuatione, eaq; non simplici, sed celeri, & quæ plus ab affecta parte quàm alijs uacuet, opus erit, in his sola reuulsio, quæ impetum humorũ qui aliquando ad caput deferri possent auertat, sufficiet. Idem ad id quod de podagra obijcit, respondendum uenit, hæc enim inflammatio interna dici haud poterit. Et Galeno certe hoc in loco non nisi per cubitum humorum defluxum reuellere licuit. In pede enim, utpote affecto membro, uenam secare non potuit: & si potuisset, tamen quia in uicina parte fuisset, deriuatio, & minime reuulsio erat. Nullũ autẽ esse deriuationis in inflammationũ initijs usum, Galenus in lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem docet, dum incipientibus phlegmonibus medico non tantum uacuandum, uerumetiam reuellendum esse scribit. Secta enim uena, quæ in parte affecta, aut illi proxima est, non solum nõ relinquitur spaciũ ut auerti queat facultatis excreticis impetus, imò etiã plus ratiõ excitati per sectionẽ doloris ad affectũ locũ trahitur. Hinc prudenter admodum Galenus ca. 95. Artis medicæ, in eum modum scriptũ reliquit: Si  
 „ uniuersum corpus plus equo plenũ fuerit, per affectũ  
 „ locum uacuare non oportet. Nam si scarificationibus  
 „ et sectionib; sensibiliter dolore affectos euacuabimus,  
 „ plus ratione doloris attrahemus. Si uero calefacienti-  
 bus

bus discutere tentabimus, plus ad partem uī caloris tra-  
hemus, quā discutiemus. Quod si elaborabimus ut  
id quod influxit retrocedat, corpus quod plenum est  
non admittet. Ad hęc igitur ambo totum corpus eua-  
cuare oportet, aut omnino ad alia loca reuellere, quod  
patientī particulę influit. Hęc Galenus: à quo sanē  
non ab re præceptum esse iam puto intelliget Hiere-  
mias, cur in podagra cubiti, & non cruris uena inci-  
denda sit. Sed rursus obiicit Brachelius pleura seu  
costa, utrinq; maximis patet confluxus iniurijs, eorū  
scilicet qui in caua uena sursum, deorsum mouētur hu-  
mores: quare siue deorsum, siue sursum retrahere uul-  
tis ex confusa in caua uena humorū mole, aliud indu-  
cetis si aliud reuellatis. Optime igit ac sagacissime na-  
tura oppositam uenam reliquam fecit, ut quod undiq;  
in alterū latus procumberet, ipsa fat retrahere posset.

Atqui sciat ratiocinationem hanc suam prorsus in-  
firmam, ac nullius momenti esse, nam non necesse est,  
ut semper in euacuatorum locum alij humores succe-  
dant & inducantur. Si enim excessus duntaxat aufer-  
tur, tum in euacuatī sanguinis locū alius minime suc-  
cedit, quod scilicet analogia quædam & proportio hu-  
morum sit iam in uenis, ita ut neutra pars ab alia trahe-  
re possit aut indigeat. Sanæ enim partes, ut fortiores,  
bonum sanguinem retinebunt. Aegra autem alimen-  
to uberiori non indiget: neq; etiam si indigeret, trahe-  
re hoc in casu posset, qui enim fieret, ut imbecillior à  
fortioribus, id quo ipsæ ad sui alimoniã indigerent, tra-  
here posset? Dato autem, quod plus quàm excedat san-  
guinis detrahatur: tamē tunc partes uacuatae tantū so-  
lummodo exigent, quantū ad tenuem refectionē satis  
erit. Proinde quāuis in euacuatorū locū alij inducātur  
humores, hi tamē, quādoquidē id qd̄ deficit suppleāt,  
minime

Obiectio.

Responsio.  
Nō semper  
in euacuatorum humo-  
rū locū alij  
succedunt.



minime præter naturã erunt. Et certe multo præstãtius est, in partibus morbo affectis, aut illi uicinis, tam modicũ esse alimẽti, ut aliunde trahant: quàm esse tã multum, ut uel in alias pellant, uel trahentibus concedant. Quare nõ oblitendum est, ne in partem affectã fluat sanguis, sed ne copiosior quàm hæc ipsa exigat. Cæterum oppositam uenam id quod undiq; in latus affectum procumbit, sat retrahere posse constanter negamus: quod scilicet, ut antea ostensum est, nullam cum eo societatem habeat, atq; ad eõ ex affecta parte uel omnino nihil, uel non nisi post temporis interuallum trahere possit. Galenus autem ut non solum celeriter à loco affecto retrahamus, uerum etiã uacuemus monet: ita ut retractionem, quæ ab opposita fit uena, expectare, periculo maximo haud careat. Dicit Brachelius: fateor quidem oppositam uenã ab affecta parte nihil trahere aut euacuare posse: humorum tamen fluxum, qui in eam decumbere potest anticipando, intercipit. Sed neque hoc illi donamus, nam cum in inflammationibus, pleuritide potissimum, humorum impetus, defluxio ue secundũ rectũ fiat, necesse est ut per eandẽ uiam, per quã in partem affectã decumbunt, rursus ab ea reuellant, atq; in contrariũ planè trahant: quod certe per uenã, quæ in cubito opposito est, sectionẽ fieri nõ potest. Sanguis enim, ut ex iam dictis constat, per cauã uenã ad partem affectã defluens, eandẽ differentia positionis, dextri scilicet & sinistri, seruat: ideoq; ue intercipitur, & expedite in contrariũ trahitur atq; uacuat, non autem sinistri, & contrã. Sic omnes elabendi uia Brachelio oclusa sunt. Quod uero humorum defluxus in pleuritide fiat secundum rectum, satis testantur ea quæ lib. 6. Epidem. par. 2. Aph. 7. scribit Hippo-

*Opposita uena id quod in alterum latus procumbit non retrahit.*

*Obiectio.*

*Responsio. Humorũ de fluxus in pleuritide in rectũ fit.*

Hippo-

Hippocrates: In rectum, dicens, fit laterū dolor, hypochondriorum distentiones, lienis tumores, sanguinis ex naribus eruptiones. Atqui instabit hic Brachelius, uel alius quispiam Arabicae uesaniae patronus, citato loco Hippocratem de morbi iudicatione aut permutatione loqui asserens, non de humoribus à partibus, uel uniuerso corpore ad partem aliquā protrusis. Atq; hac elusione in libro suo magis certe uasto quam docto, quē de Curatione pleuritidis edidit, peruersam Arabum sententiam tueri conatur Andreas Turinus. De quo sanè quid sentiam, uel ex iam dictis quisq; estimare poterit. Videtur sanè tam ipse quam aduersarius suus, quisquis ille fuerit, clausis (quod dicitur) oculis Andabatarum more pugnare: atq; adeò fit ut disputationis scopo neglecto, uocumq; reuulsionis & deriuationis genuino significato nō intellecto, misere impingant. Sed ad obiectionem respondeamus. Fatemur quidem Hippocratem in præfata sententia de morbi iudicatione loqui; at nō sola, uerumetiam de eiusdem generatiōe, id quod ex eius uerbis planū fit, ait enim: Anginae rubores, & laterum dolores fiunt secundum rectitudinem. Quibus equidem uerbis non de iudicatione, sed de generatione pleuritidis loqui Hippocratem, nemo non uidet. Quid multa? Hippocrates in producta à nobis sententia duplici ratione sanguinem è directo esse mittendum insinuat. Primū quia humorum defluxus in partem affectam secundum rectum fiat, atq; adeò per eandem uiam in contrarium trahi facillime queant. Dein quod natura, cuius minister est medicus, in suis etiam expulsionibus rectitudinē obseruet. Quemadmodum igitur huius expulsiones, quę non in rectum fiunt, malę, aut non admodum utiles sunt: ita etiā medici uacuationes, siue reuellat siue deri-

cc  
cc  
Obiectio.

Andreas Turini liber de Curatione pleuritidis.

Responso.  
Hippocratis locus explicatur.

cc  
cc



*Deriuatio  
in principio  
phlegmo-  
nis adhibe-  
ri nō debet.*

uet, nullius momēti utilitatem, nisi ē directio fiant, afferent. Porro ridiculum est, quod Brachelius iterum ad cubiti in podagra sectionem reuertitur: cum, ut supra retulimus, nobis de internis, & non externis inflātionibus in prēsētia disceptatio sit. Et certe incisio poplitis in podagra deriuatio est, & non reuulsio: id eoq; inter initia morbi adhiberi non debet, neq; enim tum in uicinam partem, sed potius contrariā reuellendum erit. Errat itaq; uehementer Hieremias, quod putat idem esse latere affecto per coniunctam illi uenam sanguinem detrahēre, & utero laborante aluum ducere, podagraq; cruciante poplitem secare. Nā dum utero affecto aluū ducimus, & in podagra poplitem incidimus, nihil aliud agimus quā quod per maxime uicinum affectę parti locum uacuamus, quę sanē uacuatō, ut iam diximus, non est reuulsio, sed deriuatio, quę in principio phlegmonū locum non habet, quum Galeno lib. 2. ad Glauconem teste, eorum tantum humorum quę membrū iam obsederunt medela sit. In pleuritide autem dum sanguinē ex uena cubiti, qui ē directo est mittimus, neq; per partem affectam, neq; proximam uacuamus, id quod planē faceremus, si uenam quę costas alit incideremus: aut costę affectę, aut parti illi proximę adiacentiūe scarificationes aut cucurbitulas adhiberemus. Sectio igitur eius uenę quę ē directo est, reuulsio, nequaquā deriuatio existit, ut pueriliter admodum Hieremias, et cum eo maxima hodie medicorū pars contendit. Neq; enim tum per partem affectam, neq; proximam loco laboranti uacuamus: quis enim est qui cubitum nō satis magno & iusto interuallo à costa distare uideat? Proinde iam omnibus perspicuum est, aliud esse ex cubito qui ē directo lateris est affecti sanguinē detrahēre; et aliud, affecto utero

aluū

aluum ducere, aut in podagra poplitem incidere, hoc enim deriuatio, illud uero reuulsio existit. Id quod eò diligentius monendum esse duxi, quod uideam non Hieremiam tantum, uerum etiam alios propè omnes, qui de uenæ sectione in pleuritide scripserunt, omnium autem maxime Andream Turinū (qui Principem suū iam è ditione sua deturbatū, magnis multisq; sed imbecillib, ac ficulnis prorsus præsidijs ac copijs, & quas uno hoc milite profligare queas, uindicare ac restituere suis honoribus conatur) in deriuationis & reuulsionis nominibus turpiter impingere. Præterea non obstat, quo minus præfata uenæ sectio è numero reuulsionum sit, quia affectæ parti coniunctam esse constet: quando Galeno lib. 2. ad Glauconem autore, utraq; euacuatio, tam ea scilicet quæ reuulsio, quam ea quæ deriuatio est, per cõiunctas uenas fieri debeat. Sed præstat eiusdem subscribere uerba: Influentium humorū reuulsio, sic enim Hippocrates nominat, earū autem quæ partem iam occuparunt defluxionum, deriuatio medela est. Vtrunq; autē euacuationis genus per communes uenas præcipit. Hęc ille. Communes autem uenas uocare Galenum eas, quæ loco affecto cõiunctæ sunt, societatem uè cum illo habent, eumq; è directo respiciunt, notius est quam ut ostendi à me debeat. Iterum instat Hieremias, uenæ è directo sectio reuulsio esse non potest, quia nec in contrarium locum, nec in contrarium motum sit. Ad quam sanè obiectionem ut multis respondeam, minime opus est: quod antea abunde satis ostensum sit, hanc uenę sectionem esse reuulsionem, quia nimirum ad contrarium trahat. Sanguinē enim qui ad locum pleuritide affectū procumbit, in uenam cauam remeare facit, contrarioq; quam antea defllexerat motu, per eandem uenam extra cor-

Andreas Turinus.

Tam reuulsio quam deriuatio per communes uenas fieri debet.

cc  
Communes uenæ quæ

Obiectio.

Responsio.



pus in partem, haud dubie maxime longinquam atq; contrariam educit. Infoelix itaq; Hieremias, qui hoc ipsum animaduertere non potuit, & deriuationē potius quā reuulsionē esse arbitratus est. Cogitet itaq; atq; secum expendat, quanta temeritate dixerit se luce clarius monstrasse, eandem uenā ab iocinore influxum reuocare, ad latus uero magis prouocare. Maioris certe momenti ac multo efficaciorib; illum uti oportuisset argumentis, si id de quo impensius gloriatur, clare ostendere uoluisset. Præterea Galenum in interiorū uiscerum inflammationibus sanguinem à dextro latere in sinistrum reuulsisse, adhuc constanter negamus. nec enim unum saltem locum, etiamsi ad extremum usque se excruciet Hieremias, in quo diuersum docuerit, p̄ducere poterit. Loci enim duo quos citat, nostræ sententię, ut supra abunde monstrauimus, nihil aduersantur. In externis quidem inflammationib; reuulsionem quæ à dextro latere ad sinistrum fit, non in uniuersum damnamus. Atqui cum in pleuritide alijsq; inflātionibus internorum uiscerum unicum hoc medici studium, Galeno firadente, esse debeat, ut celeriter ac plus à loco affecto, quā ab alijs partib; reuellat & euacuet, fit ut inter eius inītia oppositæ uenę sectionis nullus esse usus queat, nisi indiscriminatim reuulsionis speciebus utendum esse cōtendat Hieremias; quo tamē nihil absurdius, nec Galeni præceptis magis contrarium dici posset. Quod ad Auerroēn, hominē illum impium & bonis omnibus execrandum attinet, non magnopere laboramus quid ille dixerit, aut non dixerit; ut quem constat Galenum nullo iudicio, sed tantum maledicendi ac Sophistico rixandi studio reprehēdisse. Qui enim fieri potuisset, ut nebulo ille Galeni scripta recte expēderet, qui grācitatis omnis igna-

IUS

*Galenus in internis inflammationibus nunquā ex opposito latere reuulsione usus est.*

*Auerroēs impius, & maledicus Sophista.*

rus fuit. Valeat igitur perditissima illa bestia, utpote quam impudenter mendacē fuisse, & Sophisticis suis cauillis multis imposuisse docti omnes uno ore fatentur. Cæterū iniuriā nobis facit Brachelius, quod asserit nos non uereri quāuis indiscriminatim mēbra scarificare, neq; enim ullum locum in quo id docuerimus proferre poterit. Nam probè nobis constat, pro affectarum partium uarietate, diuersimodè etiam scarificationes & cucurbitulas adhibendas esse; nec ea in re Brachelio monitore opus erat. Urget iterum, ac nobis tanquam nodum, sua sententiā insolubilem obtulit Hieremias, Galeni locū ex 13. Thera. meth. libro 1: ubi ille oppositi cruris scarificationem, altero laborante, tanquam præsidium quod oppositam phlegmonē reuellere queat, atq; adeo oppositæ etiam uenæ sectionem, ut quæ non solum sufficiēter exoneret, imò tanto efficacius, quāto ipsa scarificatione potentior, probat. Quapropter qui disputationis nostræ scopum recte tenet, is facile animaduertit, hunc Hieremiæ sententiā nodum insolubilem non semel, sed iterum atq; iterū à nobis esse dissolutum. Non esse enim eandem uelocis ac plurimæ tractionis & euacuationis necessitatē in externorum membrorū & internorum uiscerum inflammationibus demonstrauimus, quod in illis satis sit quouis modo humorum in partem affectam decumbentium impetū ac defluxum sistere, inq; alias partes equè ignobiles traducere. Reprimētia deniq; medicamenta, quæ humorum defluxum auertunt, atq; digerentia etiam, quæ suppurationē prohibēt, adhiberi possunt: quāuis ex suppuratione ipsa, etiāsi superuenerit nullum periculum quod ratione dignum sit imminere. In his uero contrā, non quouis modo humorū defluxum atq; impetum sistere, neq; affectæ particulæ reprimētia:

*Nō quauis partes in morbis indistinctim scarificandæ. Galeni locus explicatur.*

*Non eadem in omnibus affectibus. uelocis ac plurimæ tractionis & euacuationis necessitas.*



aut discutientia medicamenta adhibere licet; quod illa humores in partes nobiliores detrudat, hæc uero plus ratione caloris ad affectam partem attrahant, quam discutiant, sed ocysissime humorum in partem laborantem præter naturam defluxum non solum retrahere, uerum etiam euacuare necesse est. Atque hæc, ut iterum atque iterum dicamus, ratio est, quare in internis inflammationibus neque uenæ sectionem, neque scarificationem oppositi lateris prodesse contendamus, neutra enim illarum ex ipsa laborante particula celeriter & plus quam ab alijs reuellere & uacuare, sed humorum duntaxat in corpore exundantem molem minuere queat. Hanc sanè curandi diuersam rationem nobis suggerit indicatio, quæ partim ex situ partium, partim etiã ex morbi magnitudine sumitur, neque enim eadem ratione interiores & exteriores corporis partes, neque etiã eodem modo magni & parui morbi à medico tractandi ueniunt. Eam autem quam diximus esse Galeni mentem, satis ex uerborum serie, & iecoris exemplo, quod paulo post subiungit, euinci potest. Nam phlegmone laborare incipiente iecore, tum reuellendum, tum uacuum esse qui ad illud fluit sanguinem, interna in cubito secta uena, aperte scribit: propterea quod è directo & ampla uia cum uena, quæ caua dicitur, societatem habeat. Et ne quis eum de iecoris solum inflammatione locutum esse cauillari possit, mox continuo quodam dicendi ordine aliorum etiam interiorum uiscerum exempla subnectit, atque in his omnibus inter initia uenæ sectionem è directo fieri præcipit, dicens: Perpetuo quidem in omnibus, eas quæ è directo sunt. Sed hic rursus instat Hieremias, dicens, nos præter Galeni mentem reuulsionem in eam quæ in longinquum, & in eam quæ in uicinum sit, diuisisse. Quam uero recte hæc dicat,

*Quare in internis inflammationibus opposite partis uenæ sectione aut scarificatio non proficit.*

„

„

*Obiectio.*

*Responsio.*

cat, satis ex ijs quæ supra retulimus, omnibus constare  
 reputo: ubi contrariū in id quod est maxime longin-  
 quum, & longinquum simpliciter digessimus. Hac  
 enim ratione uenam, quæ ē directio sit, reuulsionem  
 esse demonstrauimus: nō sanē quia ad maxime distan-  
 tia, sed quia ad longinqua, atque adeo contraria reuel-  
 lat. Trahere enim sanguinem, qui per cauam uenam  
 ad eam quæ costas alit, atque ab ea ad locum affectum  
 fluit, contraria planē ratione quā antea fluebat per  
 locum satis à parte affecta distantem, nempe à uena co-  
 stas alente in cauam, atque ab ea extra corpus, quo ni-  
 hil longinuius, antea satis superq̄ docuimus. Bra-  
 chelij itaque partes erant ostendere, prædictam uenæ  
 sectionem inter reuulsionis genera non esse connume-  
 randam; nisi sic temere inutilibus argutijs & chartas ac  
 tempus perdere maluisset. Cæterum dicat nobis  
 Hieremias, quo in loco Galenus utero inflammato  
 cubitum potius quā poplitem incidere præceperit?  
 Nos sanē diuersum illi ex libro de Curandi ratione  
 per sanguinis missionem demonstrauimus. Diuer-  
 sum etiam à Hieremiæ sententia Galenus lib. 13. The-  
 meth. docet, ubi de curatione inflammationū interno  
 rum uiscerū agens, sic scriptum reliquit: Renib. uero,  
 & uesica, pudendo & utero inflammatione affectis, eas  
 quæ in cruribus sunt, ac potissimū quæ circa poplitem  
 sunt. Sin minus, eas quæ iuxta malleolum. αἰεὶ δ' ἐπὶ  
 πάντων τὰς κατ' ἐνθὺ. τοῦ μὲν ἡπατος ἀρχομένου φλεγ-  
 μίνων, τὰς γὰρ τῆ δεξιᾶ χειρὶ. τοῦ δὲ αὐλῆος, ἐμπαλιγ.  
 Quod est: Perpetuo autem in omnibus eas quæ ē dire-  
 cto sunt, ubi secur phlegmone laborare incipit, quæ in  
 dextra sunt manu: ubi lien, contrā. Quæ postrema  
 uerba adijcere nobis placuit, ne aduersarij obtrudere  
 possent, Galenū non de principio inflammationum  
 hic

*Utero inflā  
 mato popli-  
 tis uena in-  
 cidenda.*

cc  
 cc  
 cc  
 cc  
 cc  
 cc

*In principio  
 inflāmatio-  
 nū secunda  
 uena quæ*



è diretto  
est.

Obiectio.

Galenus lo-  
cus narra-  
tur.

hic loqui, sed de ijs in quib, humores partem affectam iam obsederunt. Et hic quoque locus eiusmodi est, ut possit funditus Brachelij & aduersariorum sententiam explodere. Verum dicet locum Galeni, in quo docet utero inflammato cubitum esse incidendum, haberi  
 ,, in lib. 2. ad Glauco, ubi in eum scribit modum: Si qui-  
 ,, dem dextra uteri pars affecta fuerit, à dextra manu &  
 ,, crure sanguinem detrahes. Sinistra uero laborante, à  
 membris quæ illi è directo sunt. Respondeo: Gale-  
 num hoc in loco non tantum de uteri inflammationi-  
 bus, sed indiscriminatim etiã alijs eiusdem affectibus loqui. Cum itaq; in uteri affectibus interdum è manu, interdum etiã à crure sanguis detrahendus ueniat, inquirendum diligenter admodum erit, quando hoc uel illud faciendum, id quod tamen hoc in loco Galenus non explicuit. Quapropter ne sibi pugnantem faciamus Galenum, naturæ summum miraculum, ex alio potius eiusdem loco, ubi uteri affectus exquisita quædam ratione discernit, quando è manu, & quando à cruribus detrahendus sit sanguis, nobis discendum erit. Is autem est in libro de Curandi ratione per sanguinis missionem, ubi in mensium immodico profluuiò sanguinem ab utero ad brachium comode retrahi docet: in eiusdem autem inflammationibus, ad crura. Sed uerba eiusdem subiiciemus: Porro, inquit, uteri inflammationes magis etiã quàm renum à uenis in cruribus sectis iuuantur. Nam ijs quæ ex cubito fiunt uacuatio nibus, aliud etiã accedit malum, menstruas enim purgationes retinent, sanguinemq; ad superiores corporis partes reuellunt. Quæ uero ex cruribus fiunt, non solum reuellere, sed & menses mouere solent. Et iterum eodẽ in libro: Plenitudines, ait, quæ à suppressis mensibus ortæ sunt, omnino per crura uacuabis, siue uenam

uenam secare oportet, siue scarificare, Sectæ enim in cubito uenæ, mulierum reuellere purgationē solent.

Ex ijs certe locis descendum Brachelio fuit, quæ in quouis uteri affectu uena incidenda esset, hac enim ratione effecisset, ut nō ita passim in suam sententiã Galeni scripta torquere coactus fuisset. Præterea non penitus probamus, in externis inflammationibus uenæ oppositæ sectionem, ut falso putat Hieremias: sed id potius dicimus, si quis ex longissimis & situ distansissimis ac oppositis etiam partibus, in his ipsis per sectionem uenæ reuellere tentet, non tantū noxæ, quantum si idem in internis tentet afferet, quod, quemadmodum etiam Brachelius fatetur, nō tam molesta aut noxia sit earum partium affectio, nec tam grauis exitus inflet. Adijcit deniq; quod propter atrociores ferè atq; intimiores partium internarum dolorem, humorū fluxus in eas magis quàm externas superfluat, atque adeò ab interna quàm externa particula, nobili quàm ignobili potius esse reuellendum. Recte sanè, nam & hæc causa est, cur per eam quæ è directo est uenæ sectionem reuellamus magis quàm oppositam, quod scilicet illa plus quàm à ceteris partibus, & ocysime à parte affecta non tantum reuallat, uerumetiam euacuet. Sic perpetuo suo Brachelius iugulatur gladio. Porro uenæ sectionē, quæ ab eodem latere fit, non esse reuulsionem, nunquā persuadebit nobis Hieremias ijs rationibus, & nos etiã diuersum supra multis ac firmis argumētis demonstrauimus. Videat deinceps, ut deliret Brachelius, cum inquit: Altera causa quare in bubone pestifero non multum studemus reuellere, quod huc quasi in sentinam quandam natura totum contagium cœpit deponere. Nam hoc nomine illi magis reuellendum erit: & nō reuellendum solum,

*An in externis inflammationibus uenæ ex opposito sectio possit probari.*

*In bubone pestifero Brachelius reuulsionem quæ è directo fit utitur.*



imò etiam euacuandum ex corpore contagium, id certe quod facit per uenæ quæ è directo bubonis pestiferi est sectionem, quamuis tanta illum cæcitas corripuerit, ut id ipsum uidere aut intelligere haud possit. Hinc qua ratione in interiorum uiscerum inflammationib. non solum reuellimus, sed & uacuamus, eadem etiam in bubone pestifero: nec aliqua subest, ut nugatur Hieremias, diuersitas. Caterum impendio errat, quod reuulsionem non pro inflammationis diuersitate, sed influxionis potius modo uariari arbitratur. Nam cur alioqui Galenus phlegmonis magnitudinem æstimandam esse præcepisset? Quare deniq; Comment. 10. libri secundi de Victus ra. in morb. acutis docuisset, à loco phlegmone laborante celeriter & plus quàm reliquis partibus, præsertim in morbis acutis, esse uacuandum? Non ne idem Galenus in lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem, primos mittendi sanguinis scopos morbi magnitudinem, & uirium robur esse scribit? Atqui demus, reuulsionem pro diuersitate inflammationis minime uariari; nam hac lege Brachelii prorsus expugnabitur sententia. Siquidem Galeno in libro iam citato autore, in uniuersum omnes phlegmonas incipientes cum reuulsionem uacuare oportet. uerba eius hæc sunt: σωιδόντι γε μὴ εἰπεῖν, τὰς μὲν ἀρχομένας φλεγμονὰς ἀντιπαστικῶς καὶ κενώου. Et ibidem: τὰς μὲν γὰρ ἀντιπαστικῶς ἀμὰ τῆ κενώσεῖ ποιῆδὶ καὶ μᾶλλον ἐπὶ τῶν ἀρχομένων ῥευμάτων. Quod est: Reuulsionem cum euacuatione adhibere oportet fluxionibus iam incipientibus. Si itaque omnes inflammationes inter initia requirunt talem uenæ sectionem, quæ simul reuellat & euacuet, sole meridiano clarius est, oppositæ uenæ sectionem tum locum minime habere, ut quæ utrunq; præstare nõ possit. Videt iam puto Hieremias, nullas sibi

sibi elabendi vias patere. Mirari autē satis non possum, cur influxionis modum ab inflammationis modo separauerit, cum diuersitas in his ipsis quo ad iudicationem, ut ipse etiā fatetur, nulla sit. Quid enim ualens inflammatio aliud efficeret, nisi magnam inflammationem: atq; adeò ab utrisq; una eademq; iudicatio sumenda erit. Quare quemadmodum in uehementi inflammatione & reuellendum & euacuandum ce-riter esse dicimus: ita etiam ubi ualenter humores in aliquam partem influūt, ut ex Galeno iam ostendimus, faciendum esse cōtendimus. Falsò igitur nobis impingit Hieremias, quasi in molliori influxu reuulsione, in uehementiori autem deriuatione utendum esse doceamus. Nam ut ex ijs quæ iam dicta sunt, omnibus perspicuum est, nos omnem influxum & inflammationē incipientē reuulsione, ea tamen quæ simul à parte affecta euacuet, curandam esse aperte affirmamus. Deriuationis autem nullum esse usum, nisi postquam humores iam parti affectæ impacti atque infixi fuerint dicimus. Sed cur hæc falsò nobis adscripserit Hieremias, nullo alio nomine factum est, quàm quod reuulsionis & deriuationis discrimen atque adeò significationes non satis tenuerit. Ea quæ de contrarij cruris scarificatione, incisione poplitis, & malleoli in capitis affectibus, & cubiti in podagra producit, satis superq; supra à nobis confutata sunt. Eradicationis uocabulum tanquam tyrannicum, ac probatissimis medicis incognitum, & à barbaris duntaxat præter omnem rationem & necessitatem excogitatum reiicimus. Reliqua quæ in Hieremię disceptatione sequuntur, nihil aliud demonstrare cōtendunt, nisi quod in inflammationib; inter initia reuulsione, et non deriuatione utendum sit: id quod & nos docemus. Neq; enim uenæ se-

*Influxionis  
& inflama-  
tionis modis  
quoad iudi-  
cationē non  
differre.*

*Eradicatio.*



tionem, quæ è directo fit, esse deriuationem, ex ijs quæ antea dicta sunt satis constat; id quod puer etiã qui definitionem illius uel semel audiuit, deprehendere potest. Ea quæ subinde in opposita uenæ sectionis probationem adducit Hieremias, puerilia & nullius momenti sunt, atq; suprà satis confutata, superuacaneum itaq; puto, quod iam abunde explosum est, iterum refellere. Falso præterea nos accusat, quasi internas inflammationes præcoci educatione egere magis quam reuulsione doceremus: cum tamẽ non educatione seu uacuatione tantum, imò etiam reuulsione à loco affecto egere palàm doceamus. Nì enim idipsum addat, deriuationem, quæ itidem à parte affecta euacuat atq; educit, sufficere dixerit: quo nihil certe absurdius dici posset. Ridiculum deniq; quod euacuationẽ eandem cum deriuatione facit, perinde ac si reuulsio quæ fit per uenæ sectionem, euacuatio non esset: cum tamen omnis uenæ sectio, ut pueris etiam perspicuũ est, sit uacuatio. Hinc est quod nobis Galeni locũ ex lib. 13. The. meth. tanquam sententiæ nostræ reluctantem obtrudat: in quo in inflammationib. quæ adhuc in generatione sunt, priorem euacuatione confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitionem esse tradit. Audio quidem hæc proferre Hieremiã, sed non præcisè ex Galeni sententiã dicta sunt quæ producit. Is enim loco iam citato triplicẽ facit phlegmonẽ, ac iuxta illius diuersitatẽ curationis quoq; indicationẽ uariã scribit. Phlegmones enim quæ iam facta est, una curationis indicatio est, uacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa sanguinis. Eius autem quæ adhuc in generatione est, duplex indicatio est. Vna quæ sumitur ab eo quod iam generatum est: altera, quæ ab eo quod adhuc in generatione est, Atq; adeò gemina &

*Galenilo-  
cus expen-  
ditur.*

& composita est tum medentis sollicitudo, ex ea scilicet quæ prouidet, & ea quæ curat. Quando uero omnino phlegmone laborare adhuc pars nõ cœperit, sed tamen apparet iam subesse in corpore genus aliquod eorum quæ phlegmonem excitare possunt, in talibus omnib. una prouisio indicatur. Paulo autem post Galenus sic inquit: His igitur omnibus æstimatis, quæ phlegmonæ adhuc in generatione sunt, earum causas prius abscindes. Quæ uero iam factæ sunt, has utiq; curabis solas. Quæ singula iã citata Galeni uerba, quomodo sententiæ nostræ aduersentur non uideo. Nam & nos fatemur, earum inflammationum quæ adhuc in generatione sunt, primũ causas esse abscindendas, atq; adeo sanguinis ad locum affectũ confluxum inhibendum esse. Id autem in internis inflammationibus cõmodiori ratione fieri non potest, quàm per uenæ sectionem, quæ è directo est. Hæc enim confluxum ad locum affectum in contrarium auertit, et extra corpus ducit, ut supra sæpius retulimus. Quamuis quorsum attinet Galeni mentem tam exquisite rimari, cum etiã iuxta Hieremię uerba nostra cõstet sententiã. Ait enim, priorem euacuatione esse debere confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitionem: hoc est, reuulsionem debere precedere deriuationẽ, neq; enim euacuationem à deriuatione separat, ut ex paulo antè dictis liquet: id quod & nos in phlegmone, quæ adhuc in generatione est, fieri debere affirmamus. Non est uero quod arbitretur Hieremiã, uenæ sectionẽ quæ ex opposito fit latere, causam phlegmones abscindere posse. Retrahit enim, at non ex latere affecto, nisi longo temporis interuallo. Accedit quod ex egra parte, utpote cum qua societatem nullam habet, nihil euacuare possit. Si itaque à latere affecto nihil retrahit aut euacuat,

*Venæ sectio  
 ex opposi-  
 to latere  
 causã phle-  
 gmones ab-  
 scindere nõ  
 potest.*



cuat, igitur nec phlegmones causam abscindit: quādo  
 humorum defluxum, ut supra Hippocratis autoritate  
 demonstrauimus, in pleuritide potissimum, iuxta re-  
 ctitudinem fieri constet. Merito itaq; Hieremias hoc  
 „ Hippocratis dictum obtruditur: Quæ ducere oportet  
 „ quò maxime natura uergit, per conferentia loca duce  
 „ re. Si enim in pleuritide dextra humores noxiij per  
 „ dextrum latus in partem affectam decumbunt, erant  
 „ etiā per idem latus retrahendi & euacuandi. Medi-  
 „ cum enim naturæ motum ac impetum, tam in depo-  
 „ nendis in particulas, quàm in expellendis ex ijs humo-  
 „ ribus, ut antea fufius docuimus, obseruare tam in re-  
 „ uellendo quàm uacuando oportet. At dicit Hiere-  
 „ mias, nos reuulsioni tantum, & non uacuationi inten-  
 „ dimus, Hippocrates autem de euacuatione duntaxat  
 „ loquutus est. Respondeo: non potestis unī reuulsio-  
 „ ni intendere. Galenus enim celeriter & reuellendum  
 „ & uacuandum esse in internis inflammationibus præ-  
 „ cipit. Quamuis hic iterum euacuationem pro deriua-  
 „ tione perperam ac infantiliter admodum usurpauerit  
 „ Hieremias, Præterea Hippocratem hic non de deriua-  
 „ tione, sed reuulsione potius, quæ simul etiā à parte  
 „ affecta uacuat, locutum esse, testatur in primis Gale-  
 „ nus lib. 2. de Victu morborū acutorum, Cōm. 10. ubi  
 „ in eum scribit modum: Pro eorum qui inflammatio-  
 „ nem efficiunt humorū inclinatione, Hippocrates uacua-  
 „ tiones facit. Hoc enim: Quò natura uergit, per lo-  
 „ ca conferentia ducere oportet: uerissimū existit. Con-  
 „ tingit autem id interdum pro uarietate partium mem-  
 „ branæ, quæ costas succingit. Superioribus enim eius  
 „ partib, inflammatione affectis, ad iugulum, brachiū,  
 „ & mammillam condolentiā consensum uē extendunt.  
 „ Inferiorib, uero, ad septum transuersum & hypochon-  
 „ drium.

*Obiectio.*

*Responsio.*

drium, Quum igitur superiora consensum significauerint, uenam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere, tum uacuare possit. Ex ijs liquidè Galeni uerbis sole clarius fit, Hippocratem in præfata sententiâ de reuulsione, quæ è directo fit, locutum esse, atq; adeò arbitror nobis iam permittet Brachelius, quod Galenus fecit, ut eam de reuulsione usurpemus. Nunc nemo non uidet, quàm irritus sit omnis Hieremiæ conatus; idèq; potissimum, quod neq; reuulsionis neque deriuationis rationem probè teneat, ita ut ipse potius quàm nos Andabatarum more clausis, ut aiunt, oculis pugnare audeat. Sed instat hic Hieremias, dicens, quod si de reuulsione hic datus sit Aphorismus, non tantum inferre debebant contra Neotericos & Galenū, quod dextrorsum uergit dextrorsum esse reuellendum: sed quod sursum, sursum: quod deorsum, deorsum; ac uniuersaliter omnē reuulsionem in idem moliendam esse, non autem in contrarium, quod hætenus omnes medicorum scholæ tenuerunt, & alioquin nomenclatura ea in contrarium reuulsio clarissime, nisi quis surdus fuerit, loquitur. Atque ita illis euenit, quod diximus, nedum ab internis, sed & externis omnem ubique auferre reuulsionem, Hæc Hieremias. Quid uero magis hac obiectione sit ridiculum, non uideo, quomodo enim sequeretur ex hac concessione, id quod dextrorsum uergit dextrorsum esse reuellendum: aut quod sursum, sursum: quod deorsum, deorsum: cum nos etiam per eam reuulsionem quæ è directo fit, hoc quod dextrorsum uergit contraria planè uia sinistrorsum: aut ut apertius dicam, quod intrò tendit, foras retrahamus. Habent autem se interiora ad exteriora, id quod antea

Obiectio.

Responsio.

Interiora  
ad exteriora  
etiam



ra se habēt,  
sicut dex-  
tra ad sini-  
stra, & cō-  
trā.

Reuulsio  
perpetuo in  
contrarium  
molienda.

Per uenæ  
oppositæ se-  
ctionē beni-  
gnus san-  
guis uacua-  
tur.

etiam retulimus, sicut dextra ad sinistra, & contrā. Nō est itaque ut dicamus, reuulsionē in idem moliendam esse: imò cum Galeno in cōtrarium perpetuo moliendam contendimus, sursum scilicet repentibus humori bus deorsum: deorsum, sursum: intrò, foras. Quare ne que ab internis, neq; ab externis, ut falsò nobis impin- git Brachelius, illam auferimus. Porrò falsum est, quod dicit per uenę quę ex opposito sit brachio sectio nem, non benignum, imò superfluum sanguinem qui ad affectam partem inclinabat educi. Nam superflui sanguinis & calidi in pleuritide decubitus & inclinatio in rectum fit, ut iam sæpius diximus: adeò ut in op-posito latere superfluus & calidus nō sit sanguis: aliàs non secus quàm in altero latere phlegmonē efficeret. neq; enim phlegmonis alia est generatio, Galeno lib. 10. & 13. The. meth. teste, quàm ubi sanguis calidus & copiosus in aliquam animalis partem procumbit. Ex quo euidentissimū fit, sanguinem uitiosum per uenæ sectionē oppositi lateris paulatim à dextris in sinistra, & contrā rapī. Cum enim in opposito latere nullus sit superfluus & calidus sanguis, ut iam demonstrauimus, necesse est ut uacuato bono & utili sanguine, alius in illius locum succedat. Succedere uero alius non pote- rit, quàm is qui est in affecto latere: utpote qui & su- perfluus est, & proximus, quem etiam partes sanę iam inanitatē trahent: affectæ autem libenter cōcedent, imò sua sponte tanquam grauantem à se trudent.

Sed inquit Hieremias, quid si superfluus duntaxat sit sanguis, qui est in opposito latere, & non calidus, ut in plethiora accidere potest? non ne tunc primū is uacuandus aut retrahendus erit?

Responso. me. Nam cum medici munus sit, ut semper huic affe-  
ctui qui magis urget primum occurrat, euidentissimū esse

esse puto, quod inter initia sanguis in affecto latere, qui non solum copiosus & calidus, uerum etiã iam uitiari atque adeo phlegmonem efficere incipit, sit & reuellendus & educendus. Id quod Galenus etiã innuere uoluit, dum scripsit, à laborãte loco celerius, & plus quã ab alijs partib, & reuellendum & uacuandum esse. Accedit quod iam in latus affectum tanquam partículam imbecillam, Galeno lib, 3, de Natur, facul, reſte, partes aliã ueluti fortiores quicquid in his est superuacuum reponant, fortiores enim ad uiciniores, harũ autem unaquãq; ad alias detrudit, donec ad imbecillioſiorem caterisq; plus dolentem peruentum ſit. Cum itaq; in affectam partem tanquam in ſentinam quandam omnia ſuperuacua confluant, tentandum omnibus modis medico erit, ut illa & auertat & uacuet: id quod alia ratione non poterit, præterquam uenæ quæ directo eſt ſectione. Quod ſi uero eam quæ in oppoſito eſt uenam ſecueris, reuelles quidem, at paulatim et non celeriter, retrahesq; iam ſuperuacuum atq; adeo uitioſum ſanguinem ex affecto latere in oppoſitum.

Verum inſtat Brachelius dicens, ſi quid forte fortuna & præter opinionem à dextro auellatur, nondum fortassis omnino uitiatum erit, quod recẽs ualde phlegmone, uixq; concepta, nec admodum diu decubuit. Quomodo autem non ſit uitiatum id quod iam ſupra modum calidum eſt, & ueluti ſuperuacuum & inutile ab alijs partib, expulſum, non uideo. Calidum autem ſupra modum ut ſit, ex prædictis fatis conſtat, ubi ex Galeni ſententia phlegmonem ex calido & ſuperuacuo ſanguine generari indicauimus. Iterum inſtat: pone, inquit, uitiatum ſit, non tamen in multum longinquũ, aut etiam oppoſitum latus ſtatim reuelletur, in proximum forte adducetur, quare uel rurſum à natura

magis urget primũ ſuccurrendum.

Obiectio.

Reſponſio.



tura in eundem locum expelletur. Hæc ille: Ergo opposita uenæ sectio certo quidem nō reuellit à loco affecto; cur igitur hæc incidit, & non potius cauet ne phlegmone, quæ iam cœpit, magis atq; magis augeatur? Certe hac unica obiectione Hieremias errorem suum omnibus detegere uoluit, uerissimum enim est, quod id quod in proximum locum abductum est, rursus à natura partium in affectum locum expellatur. fortiores enim hæc cum sint, necessario superuacua & inutilia uitiosaq; à se in affectas partes reponent, atq; adeo eadem quantitas superuacuorū quæ antea fuit, in affecto latere permanebit, augebiturq; interea tensio, dolor & phlegmone, Hæc sanè potest egregia illa Hieremias & aliorū aduersariorū, quæ per opposita uenæ sectionem fit, curatio. Sed hic errori cōmuni patrocinari cupiens Hieremias, inquit: si quid iterum reponitur, id per proximā deriuationem non difficile expediatur. In quibus uerbis, ut aliàs sæpe, hallucinatur. Primum, quod uenæ sectionem quæ ex brachio lateris affecti fit, deriuationē nominat, hanc enim cum ex proxima particula non fiat, & in contrariū humorum impetum uertere queat, reuulsionem, & minime deriuationem esse demonstrauimus. Secundo, quod deriuatione se id quod iam in parte laborante fixum est, ac fermè immotum persistit, uacuare posse putet: quum id non deriuatione, sed ut supra retulimus, uacuatione quæ per patientem fit particulam expediatur. Fixum autem ut sit iam atque immotum, hinc conijcere licebit, quod (ut ipse etiā fatetur) totius corporis adlit plenitudo, hac enim non existente, Rhazis sequutus consiliū, ex eodem etiā latere mittendum esse sanguinem concedit. In hac autē plenitudine uehemens, ut ex Brachelij uerbis liquet, qui fluxus impetum pro corporis

Quod in  
particula  
laborante  
fixum est,  
deriuatione  
uacuari non  
potest.

corporis plenitudine fieri ait, sit humorum ad locum affectum decumbentium defluxio. Ea uero uehementiore existente, semper aliquid ad affectam partem exdat, quod in illa figitur, et subinde per uenę sectionem retrahi ex eadem non potest. Quando enim sanguis à propria cavitare excidens, in aliam peruenerit, necessario corrumpitur, atq; adeò ut sanguis permaneat est impossibile, iuxta hoc Hippocratis 6, Aph. 20. dicitur: Si in cavitatem aliquam sanguis præter naturã effunditur, necesse est ut corrumpatur. Quapropter cum illud quod iam in particula affecta fixum est, neq; derivatione neq; reuulsione moueri aut educi possit, temere hoc per uenę sectionem quæ è directo est efficere conabitur Hieremias. Quanto igitur consultius est, statim inter initia phlegmones cauere, ne quid subinde in parte affecta figatur per uenæ lateris affecti sectionem, quæ celeriter & plus ab affecta parte quàm ab alijs & retrahit & euacuat, atq; adeò impetum humorum in contrarium ocysime auertit. Quod hoc etiam nomine magis faciendum erit, si illa quæ antea retulimus nihil eum mouent, quod magna ægrotantiũ pars crebras uenæ sectiones ægrè admittat. Proinde optimum est, initio statim inflammationis, uenæ quæ è directo est sectione uti: quæ uitiosum sanguinem non solum à loco affecto reuellere, uerum etiã euacuare, atq; adeò ne quid figatur illic prohibere potest. Sed inquit Hieremias, nos frustra putare tam sincere unica euacuatione quicquid est uitiosum educi posse, ut nihil maneat putridarum reliquiarum. Atqui posse nos, grauissimis testibus monstrabimus. Non ne Hippocrat. lib. 2. de Vict. rat. in morbis acutis, Aph. 10. de pleuriticorum curatione ita scriptũ reliquit: Ne cum ceteris copiose auferre sanguinẽ, donec utiq; rubicun-

Optimũ est  
statim inter  
initia inflã-  
mationis ue-  
nam quæ è  
directo est  
incidere.  
Obiectio.  
Responsio.



dior multo, aut pro puro rubidoq; liuidus fluxerit:  
 utrunq; enim accidit. Quibus utiq; uerbis manifesta  
 indicia, per quæ dignoscere licet, num uitiosus in uni-  
 uersum sanguis extractus sit, tradit: sanguinis nempe  
 & in colore, et in consistentia mutationem. Huic itaq;  
 intendens medicus, confestim ubi sanguinem immu-  
 tatum esse conspexerit, uitiosum quicquid est extra-  
 ctum esse perspectum habet, neque enim immutatio  
 ulla fieret, si nõ uitioso penitus educto bonus sequere-  
 tur. Hinc est quod Galenus præfatam sententiã Hip-  
 pocratis enarrans, in hunc modum scribat: Quicquid  
 sanguinis in phlegmone est, id caloris multitudine in  
 colore permutatur. Reliquus uero sanguis in omnib.  
 partibus similis manet. Proinde sanguine in toto cor-  
 pore pituitosiore existente, rubicundior sanè erit qui  
 in eo quod phlegmone obsidetur latere continetur.  
 Quod si uero rubicundus fuerit, haud dubie is qui ad  
 phlegmonem est assatus erit, & in nigrum permutabi-  
 tur. Liuidus autem in ea quæ fit à rubicundo ad ni-  
 grum trãsmutatione, medium obtinet. Coloris igitur  
 mutatio, sanguinis ex phlegmone laborante particula  
 translationis sufficiens signũ existit. Idem etiã quod  
 asserimus in lib. de Curandis rat, per sanguinis misio-  
 nem, ijs confirmat uerbis: In quibus iuxta sectam ue-  
 nam phlegmone aliqua est ingens, optimũ est sangui-  
 nis & in colore & in consistentia mutationẽ expecta-  
 re, sicut indicauit Hippocrates in lib. de Acut. morb.  
 uictu, ubi de pleuritide uerba facit. Alius enim est qui  
 in phlegmone est sanguis, quàm qui secundum natu-  
 ram, utpote plus ex calfactus. Nã si antea crudior erat,  
 rubicundior et flauior efficit; sin eiusmodi prius fuerat,  
 in nigrũ assatus conuertitur. Hęc Galenus. Verum  
 instat Hieremias, ijs uerbis: Ponamus nihil reliqui fa-  
 ciatis,

ciatis, periculum tamen est, ut is qui quantitate, qualitate, sæpe utroq; molestus est huc decidens humor, loci vitiosa qualitate adhuc fumida, necdum omnino extincta corrumpatur, atque ita uno euictio malo, alterum paratum est non minus rebelle. Respondeo: non posse tum remanere loci vitiosam qualitatem adhuc fumidam, necdum omnino extinctam, quod scilicet vitiosi humores, à quibus ea qualitas propagata est, omnes sint uacuatī. Vacuatos autem esse, non solum ex sanguinis mutatione, uerum etiam ex eo colligi potest, quod vitiosi humores phlegmone adhuc recente existente, atq; necdum completa, in particula affecta nondum fixi aut impacti fuerint, ideoq; nulla prorsus difficultate per uenæ sectionem que est directio est & reuulsi & educti sint: quod scilicet cum uena quæ affectam partem alit coniuncta sit, & societatem habeat. Sed fac qualitatem fumidam in parte affecta remanere, tamen consultius est qualitatem solam remanere, quam simul etiam humores calidos & vitiosos, hanc fouentes & augētes, Neq; puto tam immodica erit, quin alterantibus comode adhibitis possit corrigi, Quod si uero tam copiosa fuerit, ut iterum phlegmonis ansam præbere queat, altera uenæ sectione id totum quod denuo uitiatum est tollere licebit. Verum quorsum attinet istis Brachelij obiectionibus, tam exquisitè respondere, quam imaginaria planè sint, neq; unquam reuera quæ tantisper metuit eueniant: Neq; enim sola qualitas, nisi copia accesserit, phlegmonem procreare potest. Ceterum falsò nobis impingit Brachelius, quasi contenderemus affectum latus non admittere superuacua, que in alijs sunt partibus, quod altero imbecillius, nusquam enim hoc ipsum diximus: sed secum, imò cum Galeno fatemur, in affectam partem, tanquam omnibus imbecilliore,

*Responsio.*

*Consultius  
qualitatē so-  
lam remanere,  
quam  
simul humo-  
res.*



cilliozem, reponi quicquid est in alijs superfluū. Si tamen in ijs non sit quod sua sponte deponant superuacuum, fieri non posse ut ab illis trahant contendimus, quod imbecillius à fortiori trahere alimentum haud queat. Neq; enim ut Galeni uerbis utar, duobus equaliter esurientib; subtrahet manu panem alter alteri, nisi ualentior. Porro non ignoramus, multo minus dissimulamus, inflammata[m] partem quamuis alijs sit debilior, tamen tantum alia excedere attrahendi facultate, quantum flammeo calore. Excedit autem attrahendi facultate, nō quidem utilis, sed superuacui sanguinis.

*Cur uena lateris affecti in inflammationib; incidenda.*

Atq; hinc est, cur primum eam uenam, quę è directio lateris est affecti, incidamus. Hac enim ratione fit, ut flammeus ille calor, qui ut ex omnibus corporis partibus in affectum locum superuacua, si qua in illis sunt, trahantur in causa est, mitigetur, atq; prorsus sanguine calido & uitioso reuulso & uacuato extinguatur. Id certe quod oppositę uenę sectio præstare non potest. Nam utcunq; inter inítia succum eum qui in opposito latere male constat, uel etiam in caua uena uacillat, extrahat: tamen nihilominus in affecto latere flammeus calor ac tensio adhuc remanent, quę ut ualenter trahantur superuacua efficiunt. Proinde cum calor, dolor et tensio in affecto latere ut celeriter tollantur nos urgeant, fit ut illis etiam primum ex Galeni nostri doctrina occurramus. Dein si necessitas ipsa exigat in plenitudine corporis, ut post unam aut alteram horam ex opposita etiam uena sanguis mittatur, non repugnamus, modo maiori malo primū occurratur. præstat enim redundans quid in opposito latere, quam in affecto relinquere. Hic iterum non sine magno errore Hieremias uenę sectionem, quę è directio est, deriuationē appellat: quum sit reuulsio, ut iam sæpius diximus.

diximus. Quod ad Galeni ex lib. 4. de Tuend. uale. locum attinet, nihil refert, etiam si de phlegmonofa laesitudine loquatur. Satis enim est quod fateat hic esse reuulsionē Hieremias, quae ab interioribus ad exteriora fit; quam supra obticendo negasse uidetur. Et mirū profecto est, quomodo in hac laesitudine non sursum, non deorsum, non dextrorsum, non sinistrorsum reuellendum esse uiderit; & non in pleuritide etiam, in qua tamen quae id ipsum requirat maior necessitas est.

Hoc in loco non sine pudendo errore iterum asserit Hieremias, eandem uenae sectionem eiusdem respectu esse reuulsionem & deriuationē: quod non modo absurdum, uerum etiam impossibile est, ut abunde supra demonstrauius. Non minus errat, dum ex eodem latere fieri posse reuulsionē negat, id quod antea etiam monuimus. Neque igitur ratione uincit, neque autoritatum numero, ut temere gloriatur, superat Brachelius: quando nec unam rationē quae ad conuincendos nos sufficiens fuisset, nullum denique euidentis alicuius recepti autoris testimoniū, quo nostram improbaret sententiam, producere potuerit. Sed iterū instat, non esse dubium inquiring, quin antea actis temporibus & modestissimi et doctissimi complures fuerint, qui eius phlebotomiae incōmodum animaduertissent. Respondeo, hac lege prioris seculi medicos ab omnibus erroribus uindicare licebit: id quod neque Brachelius ipse admittet, cum illos etiam non raro impigisse in libello suae disceptationi annexo fateatur, errorisque manifesto insimulet. Atqui dicit, secretiores aliquot errores hos latuisse negare non possum, sed tam manifestum, tam noxium omnes potuisse subterfugere, non puto. Non tantum secretiores aliquot errores hos latuerunt, sed et manifestissimi. Nam quot in simplicibus medi-

Eadē uenae  
sectio eiusdē respectu  
reuulsio &  
deriuatio dici nō potest.

Obiectio.

Responso.

Non tantū  
secretiores,  
sed & mani



festissimi er-  
rores prio-  
ris seculi  
medicos la-  
tuerunt.

Ex subie-  
cto crure,  
aut opposi-  
to in pleuri-  
tide non re-  
uellendum  
esse.

Quare neo-  
terici uenæ  
è directo se-  
ctione tan-  
to tempore  
distulerint.

medicamentis errata manifesta illos latuerint, non ne-  
cesse habeo in præsentia referre, quum nemo nõ sciat.  
Quot deniq; in medendi methodo, quot in anatomi-  
cis manifesta errata commiserint, notius est quàm ut à  
me demonstrari debeat. Præterea nemo est qui om-  
nes ex opposita reuulsione perijisse dicat: plures tamen  
perijisse ex eadem euidentissimũ est. Si qui tamen con-  
ualuerunt, in his certe humorum impetus neq; multus  
neq; uehemens fuit, & non nisi longiore temporis in-  
teruallo sanitati restituti sunt. Quod tandem repre-  
hendit eos Hieremias, qui uel ex subiecto crure aut  
opposito reuellunt, uel ex opposito brachio usque ad  
sanguinis mutationem uacuandum esse statuunt: re-  
cte quidem facit, eo quod capitalis uterque sit error.

Quir autẽ Guainerius, & alij propè omnes neoteri-  
ci, uenæ quæ è directo est partis affectæ sectionem tan-  
to tempore distulerint, ratio alia nulla est, nisi quod eã  
uenæ sectionem, id quod etiam Hieremias facit, deri-  
uationẽ esse putauerint; cuius certe nullum esse usum,  
ex Galeno didicerunt, nisi ubi iam particulam affectã  
obsederunt humores. Sic enim ille lib. 2. ad Glauconẽ  
ex Hippocratis sententiã tradit; Humorũ adhuc con-  
fluentium reuulsio, sic enim Hippocrates nominat:  
earum autem fluxionum quæ iam partem obsederũt,  
deriuatio medela est. Parcius tamen illi boni uiri à  
Hieremia coarguendi erant, ut qui in eodem cum ijs  
uerfetur errore, Nam haud secus quàm illi, uenæ è di-  
recto sectionem deriuationem esse censet; in hoc uno  
diuersus, quod eam citius quàm illi adhibeat. Quo no-  
mine necesse est ut fateatur, se contra Hippocratis &  
Galenĩ decretum citius quàm oporteat aut expediat  
deriuatione uti; uel eam quæ è directo est uenæ sectio-  
nem, non deriuationẽ, sed reuulsionem esse. Si enim  
deriuatio

deriuatio est præfata uenæ sectio, ea ante tertium aut quartum diem, uel ut paucis dicam, antequam fluxio partem affectam iam obsedit, uti recte haud poterit. Quapropter si hanc citius adhibet, uel se errare, uel nõ esse deriuationem dicat necesse est. Perpendant iam quantum conferat, in disceptationibus genuinam uocum uim & significationem perspectam habere, qui confusim quauis uoce nos uti posse ineptissimè garriunt. Si enim eam uenæ sectionem quæ è directo fit, non deriuationem, sed reuulsionẽ potius esse demonstrauerimus, tum omnes Hieremiæ copias profligari necesse erit. Quum uero id ipsum abunde in precedenti sermone præstauerimus, iam uelit nolit in sententiã nostram manib. & pedibus eat oportet. Cæterum consultius erat Hieremiæ, non obiecisse Guaynerio, ex lib. 3. Epide. Hippocratis Anaxionem pleuriticũ, quũ sic nobis data sit occasio etiã hac Hippocratis curandi ratione nostram cõfirmare sententiã. Si enim Anaxioni uena, quæ è directo fuit lateris affecti, in octauo die secta est, id quod Hippocratis uerba planè docent: euincemus, illi non deriuationis, sed reuulsionis potius gratia eam uenam secuisse Hippocratem. In morbi siquidem principio reuulsio, & minime deriuatio competit, id quod omnibus in confesso est. Principium autem morbi esse totum illud tempus, in quo omnino crudus est morbus, satis testantur ea quæ scribit Galenus lib. 1. de Crisib. cap. 8. dicens: Proprium uniuscuiusq; morbi principium coctionis signis definitur. Tum autem cessat, ubi coctionis signa apparuerint. Et cap. sequenti: Quod Hippocrates uocet principium totum hoc tempus morbi, in quo omnino est crudus, iam liquet. Cum itaq; principium morbi sit, quàm diu crudus fuerit, manifestissimũ erit, in octauo

Anaxion  
pleuriticus.

In morbi  
principio re-  
uulsio et mi-  
nime deri-  
uatio com-  
petit.  
Principium  
morbi  
quod.



die Anaxionis morbum adhuc fuisse in principio: hoc enim tempore nihil expuit. Crudissimus enim morbus est, Galeno in Cōm. 11. par. 2. Aphorismorum teste, in quo nihil omnino expuitur. Nihil autem expuisse omnino usque ad undecimum diem, crudissimoque morbo laborasse Anaxionem, Galeni in eius aphorismi explanatione uerba satis declarant, dum in eum scribit modum: Anaxion hic dum semper tussiret, & nihil plane expueret, crudissimo conflictabatur lateris dolore. Qui cum die undecimo expuere coepisset, morbum significauit concoqui. Quum itaque uenę sectio Anaxioni in octauo die sit adhibita, dum adhuc crudus morbus fuit, sequitur tum morbi fuisse principium; quod certe iuxta Hieremię & eum sequentium sententiam non deriuationem, sed reuulsionem requirit.

*Principium  
pleuritidis  
ad plures  
dies produ-  
citur.*

Neque est cur aliquis miretur, pleuritidis principium ad tot posse produci dies, cum Galenus lib. 1. de Crisibus, cap. 18. ubi hanc Hippocratis sententiam enarrat, eiusdem principium perdurare scribat quo ad pauca & concocta egrotans expuere coeperit. Quod quia Anaxioni non in undecimo, sed tandem decimosextimo contigit, sequitur ad hunc usque diem morbi principium fuisse protensum. Mentionem autem fecit sanguinis missionis Hippocrates, alioqui assuetus in eo libro tacere præsidia quibus usus est: quia tum medici, ut in explanatione huius sententię ait Galenus, quasi certa lege sancitum obseruabant, ne post quartum diem uenam inciderent. Censendum uero, ut idem inquit, quod alios sanguinis missione egentes secundo, tertio, quarto uel die hoc auxilio curauerit. Cur autem tanto tempore uenę sectionem in hoc Anaxione distulerit, haud dubie nulla alia causa factum est, quam quia Hippocrates, antequam deliraret, & difficulter spiraret,

fer, materiae motum non satis perspectum habuit: atq; adeo num secanda uena esset, an alius purgatorio aliquo medicamento subducenda, haesitauit. Vbi uero sexto die calorifica nihil prodesse, & quae praedicta sunt symptomata uehemētiora fieri animaduertisset, octauo die reuulsionis & uacuationis gratia uenā quae è directo lateris affectu fuit, secuit. Quare Hippocratis exemplum sequentes, nihil uerebimur eius uenae sectione inter initia uti, utpote quae ab affecto loco & celeriter, & plus quam ab alijs partibus, id quod maxime in acutis morbis requirit, reuellere & uacuare queat.

Reliquum est ut demonstremus, quo pacto obtrusos sibi Galeni locos Hieremias torserit, & in suam sententiam falsa interpretatione pertraxerit. Alia enim quae producit, ad nos nihil attinent. Primum autem omnium Hippocratem sibi æquiores facere conatur, qui lib. 2. de Victu acut. morborum, Aph. 10. sic scriptum reliquit: Quum ad iugulum dolor extenditur, aut grauitas uel brachium, uel mammas, uel partes quae supra transuersum septum sunt infestat, interna cubiti uena secanda est. Neque cuncteris copiosum detrahere sanguinem, donec uel rubicūdior multo, uel pro puro rubidoq; liuidus effluxerit, utrunque enim accidere solet. At si eas partes quae sub septo transuerso sunt dolor infestat, nec ad iugulum ascendit, tum uel nigro ueratro, uel peplio alius ducenda est.

His enim uerbis, inquit, quiuis conijcere potest, Hippocratem deriuasse, & non reuulisse. Si enim retrahere uoluisset, nequaquam materia deorsum declināte, atque ad ilia decedente, purgatione deorsum per aluum, sed sursum potius per uomitionē reuellere studuisset. Multo minus ubi nedum iugulum, sed & brachium fluxus impeteret, ad ipsum amplius brachium

Hippocratis locus explicatur.

cc

cc

cc

cc

cc

cc



adducere uoluisset. Hæc Brachelius. Sed eius coniecturas esse falsas atque mendaces, uel hoc uno argumento ostendi potest, quod euidentissimum sit, ut supra diximus, hanc internæ uenæ in pleuritide sectionem non esse deriuationem, sed reuulsionem: neque etiam talem quæ duntaxat in contrarium trahere, ue-

*Hippocrates in internis inflammationibus non solum reuellit, sed et euacuat.*

rum etiam à parte affecta uacuare queat. Neque enim in internis inflammationibus Hippocrates reuellere solum, sed & euacuare à parte affecta solet. Hinc cum inferioribus costis laborantibus nihil se posse ab illis per præfatam uenæ sectionem uacuare Hippocrates putaret, præsertim naturæ motu sursum minime tendente, sed deorsum potius inclinante, uenæ internæ sectioni purgationem prætulit, ut quæ ab affecto loco non tantum reuellere, sed & uacuare posset. Superioribus autem costis affectis, consentit condoletque clauicula, brachium, & mammilla: minime tamen, ut Hieremias putat, eas partes fluxus impetit, ideoque cubiti internam lateris affecti uenam secat, ut quæ copiose ac celeriter à laborante particula & reuellere & uacuare queat. Quinetiam Galenus in Commentarijs suis hanc sententiam enarrans, disertè docet Hippocratem pro humorum qui inflammationem efficiunt inclinatione, uacuationem moliri: cuius etiam uerba subiungerem, nisi paulo antè à nobis producta fuissent.

*Simplex reuulsio in inflammationibus non sufficit.*

Vnde iterum omnibus perspicuum fit, simplicem reuulsionem in internorum uiscerum inflammationibus inter inîtia non sufficere: sed requiritur planè ea, quæ simul etiam uacuare possit. Atque hinc est quod Hippocrates educendum esse sanguinem copiosum, & ad coloris usque mutationem præcipiat, ut scilicet his uerbis cum reuulsione euacuationis etiam modum exprimeret. Videat iam Hieremias, quàm pulchre

suæ

suæ coniecturæ ad Hippocratis & Galeni mentem  
 quadrent. Si enim celeriter hæc laborantis lateris ue-  
 na, quemadmodum uterq; monet, incidenda erit; per-  
 spicuum est, illam inter initia morbi, atque adeo ante  
 omnes alias uenæ sectiones adhibendam esse. Si ante  
 alias adhibetur, necesse est, ut nulla præcedat. Quod si  
 uero nulla alia præcedit, ut & contextus uerborum, et  
 paulo ante recitata Anaxionis historia manifeste eui-  
 cit, euidentissimum erit, hanc uenæ sectionem reuul-  
 sionis, & non deriuationis gratia ab Hippocrate fa-  
 ctam esse. Falsò deniq; ex iuguli brachijq; dolore con-  
 iicit Brachelius, non solum materiæ motum sursum fie-  
 ri, uerum etiam phlegmonem confectam esse. Nam,  
 ut diximus, proximarum partium grauitas non sim-  
 pliciter motum sursum, ad eas præsertim partes quæ  
 grauitate afficiuntur, fieri indicant; sed quia per con-  
 sensum afficiuntur, ideo motum seu impetum humo-  
 rum ad superiores costarum partes fieri monstrant.  
 Phlegmonem autem esse iam confectam, non signifi-  
 care prædictarum partium grauitatem, notius est quam  
 ut ostendi à me debeat. Siquidem Hippocrates ut ex  
 Galeni Cōmentarijs constat, sanguinem in phlegmo-  
 ne si paucus sit, per calida fomenta, quæ cutim ipsam  
 ad difficiles perspirationes rariorē efficere, phlegmo-  
 nisq; sanguinem tum tenuare, tum per halitum dige-  
 rere consueuerunt, diminuere conatur. Quum autem  
 ipsi diminui sanguis non potest, id quod accidit  
 quando in toto corpore est humorum redundantia, à  
 calidis fomentis abstinet, ut quæ tum plus eius quod re-  
 dundat ex propinquis trahunt, quam digerant, & po-  
 tius insigni aliqua uacuatione, nimirum uenæ interne  
 sectione, totum corpus præuacuat. Quæ iterum Ga-  
 leni uerba Hieremiam prorsus conficiunt, ut quæ in

Dolor iugu-  
 li, brachijq;  
 phlegmois  
 confectæ nō  
 sunt signa.



*πρὸς τὴν αἰσθητικὴν*, hoc est humorum abundantia, inter initia etiam uenā eam quæ è directo lateris est affecti, secundam esse perspicue doceant. Quid multa? quemadmodum Hippocrates pauco existente sanguine, statim & celeriter dolorem calidis fomentis mitigare & sanare studet: ita ubi copiosus sit, mox & inter initia statim inflammationis per uenę sectionem quæ è directo est reuellere & iacuare conatur. Cur autem in pleuritide id quod in dextro est latere, ad sinistrum reuellere abhorreamus, in superiorib. abunde satis dictum est.

Cæterum falsissimum est quod Hieremias asserit, Galenum in libello de Curandı ratione per uenę sectionem, deriuationis duntaxat, & minime reuulsionis uniuscuiusq; particulę loca inquisiuisse. Si enim deriuationis tantum loca inuenire eo in libro studuit Galenus, qui fit ut reuulsionem illic tam crebro nominatim etiam exprimat: Inter cætera enim sic ait: Porro summatim dicendo, incipientes phlegmonas reuulsu uacuare oportet: quæ uero inueteratę iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus: sin minus, ex ijs uicinis. Etenim in incipientibus, auertere quod influit oportet: in inueteratis autem, ipsum solum quod affectę parti infixum est uacuare. Et iterum: Reuulsionem cum euacuatione adhibere magis conuenit fluxionibus incipientibus. Quę uero ex ipsis affectis partibus, aut ex ipsis uicinis fiunt, ubi phlegmones ueluti scirrhi naturam contraxerunt. Quæ utique Galeni uerba non solum eum de reuulsione simpliciter, sed de ea etiam quæ simul à loco affecto euacuat, locutum esse aperte docent. Sententiam denique nostram, nempe in phlegmonibus inter initia nō solum reuellendum, uerum etiam uacuandum esse, mirifice confirmant: Hieremię autem, qui reuellendum duntaxat esse contendit,

*Galenus in libello de Curad. rat. per uenę sectioni. nō duntaxat deriuationis loca inquisiuit.*

tendit, prorsus conuellunt atque explodunt. Quapropter rectissime Galenus in affectibus, qui supra col- lum sunt, humeralem siue externam: in ijs qui in infe- rioribus sunt, poplitem aut malleolum: qui uero in me- dijs sunt, internam secandam esse præcipit, quod que- libet earum ab affecto loco & reuellere & uacuare queat. Errat itaque tota uia Hieremias, quod dictas iam uenas ea facultate non esse præditas putat, quan- do ex ijs quæ supra retulimus constet, quamuis ea- rum in contrarium humorum motum atq; impetum uertere posse. Cæterum nemo sanæ mentis est, qui inficias eat Galenum à dextro in sinistrum, & contra à sinistro in dextrum reuulsionē docuisse. Hunc au- tem in internis inflammationibus à dextro latere in la- tus sinistrum esse reuellendum præcepisse, id est quod constanter negamus. Quum enim is inter initia illa- rum non simpliciter reuellendum, sed etiam uacuan- dum esse à loco affecto doceat, hunc nulla istarū usum esse omnibus perspicuum est, quando neutra simul re- uellere & uacuare ab affecto latere possit. Sed de ijs in superioribus multa diximus: quare ad alium Galeni locum, qui ex libello de Reuulsione inscripto citatur, explicandum accedamus, qui sic habet: Remedia re- uulsoria sunt, incumbente in pectus aut uentrem hu- more, ad manus retractio. Hunc locum suæ senten- tiæ nihil pugnare, ijs uerbis ostendere conatur Hiere- mias. Non, inquit, statim sequitur in dextrum bra- chium reuellendum esse, quod in dextrum latus decur- rit, si id quod in uentrem pectusq; irruit, ad manus re- trahi uoluit. Rectè sanè: nam ex hoc quidem loco id euincere statim non licebit. Verū cum sit uniuersalis, necesse est ut ex alio loco, ubi particulatim quod hic uniuersaliter docet Galenus, quo pacto in internis in- flamma-

*Galenus in phlegmone reuulsione in oppositū la- tus nō usus est.*

cc  
cc  
cc

*Obiectio.*

*Responsio. Uniuersalis locus per particularē explicandus.*



flammationibus intelligendus sit, discamus. Is autem est libro 13. The. meth. ubi sic scriptum reliquit: Si iecur, thorax, pulmo, aut cor phlegmone laborare incœperint, internam uenam incidere oportet. Quibus uerbis inter initia, ne deriuationem hic præcipere Hieremias cauillare possit, quæ tum (ut omnibus in confesso est) locum non habet, internâ uenam secandam statim ubi hæ partes laborare cœperint, aperte docet. Sed dicit Hieremias: fateor incidendam esse internâ, atqui in opposito brachio. Respondeo: minime. Nam Galenus statim seipsum interpretans, hæc subiunxit uerba: *ἀσι δ' ἐπὶ πάντων τὰς καὶ ἐνθὺ*. Id est;

Perpetuo uero in omnibus eas quæ è directo sunt.

*Obiectio.* Verum, inquit Hieremias, hoc pacto incōstantiæ ac-  
cusandus uenit Galenus: qui statim postea in libello de Reuulsione, id quod in dextrum it, ad sinistrū esse reuellendum monet. Respondeo: Galenum in eo quidem libello docuisse, ut id quod in dextrum inclinatur, ad sinistrum reuellatur: at minime, quod in latus dextrum decumbit, in sinistrum brachium esse reuellendum. Sic nos quidem fatemur, in pleuritide humorum impetum in dextrum latus decumbentem, in sinistrum esse reuellendum: hoc est intrò inclinantes, fortas, & in contrarium, idēq; per brachium è directo positum. Nam idipsum, ut antea etiam diximus, ad dextrum latus dextri, ad sinistrum autem sinistri rationem habebit. At non concedimus, ad sinistrum brachium esse reuellendū, quod in dextro est latere, propter causas quas sæpius iam retulimus. Non est itaque quod in constantiæ insimulari possit Galenus, ut qui perpetuo reuulsionem in contrarium fieri doceat. Humores siquidem in dextrum inclinantes ad sinistrum, & contra: hoc est intrò fluentes ad exteriora retrahitur.

Non

Non posse autem Galenum, potissimum in internis inflammationibus sic intelligi, ut putat Hieremias, nempe quod à sinistro latere per dextrum brachiū sit reuellendū, & contrā, ex ijs quæ paulo antè diximus satis manifestum est. Nam reuulsiones omnes, partibus internis affectis, è directo fieri debere, præcepisse Galenum ostendimus. Quare cum is etiā Galeni locus ambiguus sit, necesse erat ut illum per aliū magis particularem atque perspicuum locum Hieremias interpretaretur, sic enim planè mentem Galeni intellexisset longè aliā, quàm ipse existimauerit, fuisse. Postremū locum quem affert Hieremias, ex libro de curādi ratione per uenæ sectionē producit, quē suo more tractat: hoc est, huc et illuc torquet & flectit. Is uerò sic habet: Quæcunq; sanguinis eruptiones secundum rectum eueniunt, maximum ægrotantibus commodum adferūt. Quod autem *κατ' ἐξω* in rectū dicat Hippocrates, omnibus in confesso est. Quæ uerò contrā sanguinis eruptiones fiūt, nihil iuuant, aut etiā interdum nocēt, quod uires citra mali leuamen exoluant. Non enim in liene magno ex dextra nare sanguis erumpens, neq; in iecinore ex sinistra, ullam utilitatem adfert. Hactenus Galenus. His uerbis sibi nequaquā aduersari Galenum ait Hieremias, quod de sanguinis eruptione non tanquam reuulsorio, sed iudicatorio auxilio locutus sit. Demus igitur hæc se ita habere. non ne uerò hoc iudicatorio auxilio natura non solum reuellit, imò etiā euacuat? Reuellit enim à liene & iecore ad nares, atque per easdem quoque uacuat. Si itaque hæc reuulsio, quæ simul etiā uacuat, ubi per naturam è directo fit, optima existit: cur in inflammationibus etiā internis, in quibus eadem est necessitas reuellendi & uacuādi, medicus natura,

Medicus in  
reuellēdo et  
uacuādo na



in suo mu-  
nere, probe  
fungentem  
imitetur.

turam, cuius minister est, non imitaretur? Neque enim temere sic 1. Aphor. 21. monet Hippocrates: Quæ ducere oportet, quo maxime natura tendit, per confertia loca ducere confert. Quemadmodum igitur natura noxia per reuulsionem, ac euacuationem, quæ in rectum fit, in bonis iudicationibus à loco affecto expellit: sic naturam imitatus etiam medicus, ea quæ in inflammationibus vitiosa sunt, per uenæ sectionem quæ è directo fit reuellere & uacuare conetur. Reuulsionem autem è directo factam ibidem etiam præferre illi quæ fit ex opposito Galenum, satis uerba eiusdem quæ iam citatis statim subiicit testantur: ἀλλὰ ἢ κατ' ἐὺθὺν ἀντίπασις, τὴν ὠφέλειαν ἐνεργῆ ἐν ταχέϊ δεικνύει. ἐπὶ δὲ τοῖς ἀντιπασι, οὐκ ἐπὶ δεξιῶν ἀλλ' οὐκ αἰμορραγίου. τῶ μὲν κεν, ἢ κατὰ τὸ ὑποχόνδριον τὸ δεξιὸν ἐρεθισμῶν συνία, σαφέως ἴσῃσι ἐν ταχέϊ τὴν αἰμορραγίαν, ὡς πορκαὶ κατὰ τὸν ἀριστερὸν, αἰμορραγιοῦντ' ἀριστεροῦ. καὶ φλεβοτομήσας δὲ χεῖρην ἀντιπασίως, ἐπὶ μὲν ταῖς κατ' ἐξέταρα αἰμορραγίας, ἐν ταχέϊ θεάσει σαφῆ τὴν ὠφέλειαν. Id est: Sed & quæ in rectum adhibetur reuulsio, euidentem utilitatem celeriter ostendit: quæ autem contra, nequaquam. Dextra igitur è nare sanguinem erumpentem, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula clarè celeriterque sistit: sicut quæ ad sinistrum adhibetur, ex sinistra erumpentem. Quinetiam reuulsionis gratia si uenam seces, in ijs quæ è directo fiunt sanguinis eruptionibus, uelociter conspicuam uidebis utilitatem. Proinde utcumque hunc locum mutilum esse Hieremias dicat, tamen apertè reuulsionem quæ in rectum agitur, ei quæ ex opposito fit præfert. Id quod exemplis pleuriticorum & dolentium oculorum statim postea disertè docet. Quum uerò uerba hæc supra à nobis producta sint, in præsentia referre non opus

opus esse arbitramur. Præterea quod millies ferè iam monuimus, non coincidit cum deriuatione reuulsio, ut pueriliter errat Brachelius, quod idem non possit esse proximum & longinquum. Reliqua quæ à Hieremia proferuntur, nullius sunt planè momenti, quod in ijs omnibus deriuationis uoce in peruersa significacione utat. Quapropter facile ex ijs quæ dicta sunt confutabuntur. Postremò quasi seipsum iugulare uidetur Hieremias, dum ait, Galenũ non reuulsionis, sed euacuationis ab opposita uena tulisse foelicitationem. Nam idipsum est cur illam in inflammationibus internis nõ incidamus, reuellit enim duntaxat, nec tamen simul à parte affecta euacuat. Hinc potius eam quæ è directo lateris affecti est secamus, ut quæ celeriter & copiosè, quod maximè exigitur, reuellere atque uacuare queat. Proinde errat toto cœlo Hieremias, quod unam eamq; simplicem reuulsionem in prædictis inflammationibus sufficere contendit: cum contra Galenus atque Hippocrates etiam eam uenæ sectionem, quæ utrunq; possit, nempe à loco affecto reuellere ac uacuare, requirant. Nec minus hallucinatur, quod deriuationẽ cum uacuatione perpetuò confundit: cum tamen multæ sint euacuationes, quæ deriuationes nõ sint. Quare etsi omnis deriuatio sit euacuatio, non tamen contra omnis euacuatio erit deriuatio. Venæ enim sectio quæ è directo fit, uacuatio quidem est: at reuulsio, ut abũde monstrauimus, non deriuatio. Sic uacuatio aliqua est, quæ per patientem fit particulam: at illa neque reuulsio, neq; deriuatio, propriè loquendo, dici potest. Fallitur itaq; Hieremias, quod passim Galenũ deriuasse, ubi euacuauit, arbitretur, nam fac hic euacuationem etiam eam intelligat, quæ ex affecta particula euacuare potest: ta-

*Summa totius disceptationis.*

*Multæ sunt uacuationes quæ deriuationes non sunt.*



men minime uerum erit, omnem illam uacuationem  
 deriuationē esse. Venæ enim sectio quæ è directo est,  
 uacuat quidem celeriter & copiosè à parte affecta : at  
 deriuatio non est, neque enim ex proxima fit particu-  
 la, sed deriuatio. Inutiliter in fine disceptationis lo-  
 cos omnes in superioribus productos repetit Hieremias,  
 cum perperā singulos ab illo intellectos, ac planè cōtrā  
 Galeni mentem in suam detortos esse sententiam demon-  
 strauerimus. In qua quidem locorum repetitione hoc dis-  
 simulandum minime erit : nēpe iniquum supra modum  
 Galeno esse Hieremiam, quod scribit, cubiti uenam sectā  
